



25

25

26

27

28

29

30

31

32



1724.

- 25^a Loescher, Mark Gotthelf: Dissertatio physica exhibens
25^b Cogitationes de anima humana sabias.
26 Mencken, Gottf. Ludw.: De juribus civium Misniae et
Thuringiae acquirantifendo equestria
27 Mencken, Gottf. Ludw.: De personis mandato d. 29 Dec.
d. 1718 et d. 21 Apr. 1724. candidatorum contrahere prohi-
bitio
28 Mencken, Gottf. Ludw.: Saecularis in aug., qua non Dari
seruitatem alius tollendi contentio eademque occasione
de ratione aedificiorum Romanorum dissertatio
29 Mencken, Gottf. Ludw.: De jure offerendi simul tunc et
inveniendo
30 Mencken, Gottf. Ludw.: De usufructu mariti d. i. n. s.
pium tractati in brevis exoratio.
31 Mencken, Gottf. Ludw.: De mandato Caesares regio
d. v. Wratlar. d. 18 Nov. d. 1706. ultra functione
fidei commissa et alio ultimorum voluntatum sub-
stitutioes in Silesia non extendend.
32^a Michael, Carolus Fredericus: De exceptionibus illiquis

32 e Neuvicantz

de yllatione exceptionum non numerata pecunie

32 e ~~Aruntz~~ conversionem deducendis.

33. Vater, Abraham: De inscriptione similitudo ac dir-
simulandi in die

34. Vater, Abraham: Virustatis inaus... qua arcem
propterea armis chinicis expugnabilem esse
... demonstrabit.

35. Vater, Abraham: De senectutis praesidiis.

36. Wucher, Fr. Balthar: De jure hagensteygatus.

37. Wucher, Fr. Balthar: Dimutalis juridica, qua
modum donationes obagnationem liberorum
ex lege & Cod. de revoce. Donat. retractandi ad
salas largitionis patroni in libertatem conatus
pertinere... potius respondendo respondet.

38. Wucher, Fr. Balthar: De possessione hereditatis
sive bona fide et jure titulo plene invalidis.
invalida.

39. Wucher, Fr. Balthar: De commissionum a principe
in forma potestate subdelegandi.

40. Wuncker, L. Balthas: De obligatione ex pactis futu-
rum promissionum vulgo fa. Wart.
41. Wuncker, Fr. Frideric: Disputationes juridicae ad G. d. Fran-
cini jurispract. Rom. Form. for. . . . publice habitas
indicat casus occasione de characteru indelicti et
dechrino, de efficaci hominum impi ministera,
porperem ex illo de ducta dicitur. . . .
42. Wuncker, Fridericus: De licita et illicita
usurarum exactione hujusque puenis.
43. Wuncker, Fridericus: De acceptatione in
donationibus necessariis.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



DISSERTATIO JURIDICA

QVA

MODVM

DONATIONES OB AGNATIONEM LIBERORVM

EX

LEGE. VIII. CODICIS

DE

REVOC. DONAT.

RETRACTANDI

AD SOLAS LARGITIONES PATRONI

IN LIBERTVM COLLATAS PERTINERE.

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

PRAESIDE

O. BALTHAS. VVERNHERO, ICto

POTENTISSIMO POLONIARUM REGI

ET ELECT. SAX. A CONSILII AVLAE ATQVE IVSTITIAE,

ORDINARIO, ET ANTECESS. PRIMAR. ETC.

PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV VENERANDO

AD D. MAI. c13 15CC XXIV.

IN AVDITORIO IVRIDICO

PVBLICE RESPONDENDO DEFENDET

AVCTOR

DANIEL HOEFERVS

BERNSBACH-MISNICVS.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



CAP. I.

GENERALIA QVAEDAM DE DONATIONVM APVD ROM. FREQVENTIA,
ET CIRCA REVOCATIONES INDOLE, COMPLEXVM.

CONSPECTVS

Immoderatae diuitiae civium Romanorum. §. I.

Etiā plebeiūrum et libertorum. §. II.

In causa erant, cur apud eosdem donationes frequentissimae et magnificētissimae fuerint. Dubium ex Polybio diluitur. §. III.

Exempla aliquot donationum apud Rom. Donationum uaria genera. Etiam liberti patronis suis donare debebant. §. IV.

Saeptissime tamen iidem liberti multa dona a patronis recipiebant. §. V.

Raritas donationum praesenti aeuo. §. VI.

Donationum impropriarum ratione reuocationis uaria indoles. §. VII.

Donationum propriarum ea cum primis natura est, ut reuocari nequeant. §. VIII.

Modo sint perfectae. Quando donationes propriae dicuntur perfectae? §. IX.

Casus excepti, in quibus donationis propriae reuocatio permittitur. Primus casus, si donatarius ingratus existat. §. X.

Secundus casus, si donatio inofficiosa. §. XI.

Tertius casus, si omnibus bonis donatis superuenerunt liberi ex L. 5. C. de inoffic. donat. Differentiae inter reuocationem ex capite inofficiosa et ex L. 5. C. de inoffic. donat. §. XII.

A modo reuocandi ex dict. L. 5. differt casus in L. Si unquam. 8. C. de reuoc. donat. §. XIII.

Ordo dicendorum in sequentibus capitibus. §. XIV.

§. I.

Immoderatae diuitiae Romanorum.

R

oma, illa terrarum domina, uicta Carthagine, atque ex eo cumpri-
mis tempore, quo sub Augusti im-
perio, Asia domita, et Alexandri-
nus triumphus actus est, diuitiis
adeo abundauit, ut pene difficile
uideatur, fidem tribuere Romanis
Scriptoribus, iisdemque inaudi-

tas istas opes recensentibus, nisi, illos fide omnium dignis-
simos esse, aliunde constaret. Tanta enim tum temporis
narratur fuisse opulentia ciuium, ut agrorum pretia ni-
mium auferentur, ac nemo fere esset, qui uel sub trien-
tali usura (*i. e. quatuor pro centenis*) mutuam uellet pecu-
niam accipere, cum tamen paulo ante usura centesima
(*i. e. duodecim pro centenis*) pro leui haberetur et legitima.
DIO CASSIUS *Lib. LI.* SVETONIUS *in uita Augu-*
sti cap. XLI. pr. Erant ciues, qui possiderent *totas prouin-*
cias. SENECA *Lib. I. de ira cap. XVI. in fin.* ac fundos *in-*
terminabiles, notitiamque possessoris excedentes, SAL-
VIAN. *ad Eccles. Cathol. Lib. I.* eandemque ob causam
opus habebant uastis uoluminibus, seu patrimoniorum li-
bris, in quibus uel *sola nomina* praediorum, aedium, ser-
uorum, aliarumque opum suarum consignarent. SENE-
CA *Lib. VII. de Beneficiis cap. X. circa fin.* Ex ciuibus, qui
in exilium mittebantur, multi reperiuntur, qui, me-
morante SENECA *in Consolat. ad Heluiam. cap. 12. med.*
maius secum asportarent uiaticum, quam *olim patrimoniu-*
um Principum fuit. *add. TACITVS Annal. Lib. III. cap. 17.*
fin. et lib. XII. cap. 22. Apicius, homo scientiam popinae
pro-

professus, in bonis habuit *millies festerium*, (i. e. si cum nostra pecunia conferuntur, *tres milliones* imperialium seu thalerorum) MARTIALIS *Lib. III. Epigram. 22.* Apicius hic idem ille fuit, qui, postquam in singulas commestationes impensas maiores, quam quibus maximum Capitoli uestigial constaret, erogauerat, aere alieno oppressus, rationes suas inspexit, et cum uideret, sibi non amplius, quam *centies festerium* (i. e. 300000. imperial.) superfuturum, propterea stolide existimans, se ex hac summa, in ultima fame uicturum esse, ueneno uitam finiuit. SENECA *in Consol. ad Heluiam. cap. 10.* Crispus, *Municeps* Vercellensis, adeo ualuit opibus, ut ipsi essent *bis millies*, i. e. *VI. milliones* imperialium, quemadmodum refert uetus Interpres *IV VENCALIS Satyr. IV.* Ipsius *Senecae* factus superabant *ter millies festerium* i. e. *nouem milliones.* TACITVS *Annal. Lib. XIII. cap. 42. prope finem. Lib. XIV. cap. 52.* En stupendas Romanorum diuitias! Quid? quod, habuit Roma ciues, qui ipso Seneca ditiores erant. Manifestum hoc est ex responsione Senecae a Nerone data apud TACITVM *Lib. XIV. Annal. cap. 55.* in qua Nero doler, Senecae, tanquam Viro doctissimo, et de Rep. optime merito non *maiozem* esse opulentiam, cum tamen *plerique* artibus Senecae hautquaquam pares *plura* tenuerint. Et sane uerissimum est hoc Neronis testimonium. Memorantur enim in Romana historia plerique ciues, qui Seneca ditiores fuerunt, ex quibus tantum nominabo Cn. Lentulum Augurem, qui adeo pecuniosus fuit, ut haberet *quater millies festerium*. i. e. *duodecim milliones imperialium.* SENECA *Lib. II. de Benefic. cap. 27.*

§. II. Non uero solum ciues *senatorii* aut *equestris ordinis* tanta opulentia superbiebant, uerum saepissime *equestris*, *ordinis* *sed etiam* Ex infima plebe *plebei*, *ci-* erat *uium.*

erat C. Caelius Claudus Isidorus, qui, licet multa in bello ciuili inter Iulium Caesarem et Pompeium gesto amisisset, nihilo tamen minus, cum moreretur, reliquit iuga bouum *tria millia sexcenta*, reliqui pecoris *ducenta quinquaginta millia*, et in pecunia numerata *sestertium sexcenties*, i. e. 1800000. *imperial*. De multitudine seruorum notatu dignissima sunt, quae tradit ATHENAEVS *Lib. VI. cap. 2. At Romanorum unus aliquis quanto plures possideat seruos, tu nosti optime Masuri: nam ad decem et uiginti millia, immo plures etiam multi habuerunt, nec tamen, ut quæstum ex iis faciant, sed plerique Romani anteaambulones eos habent, comitesque maxima ex parte. Athenaeo iunge SENECAM Lib. 1. de Clementia. aientem: Dicta est aliquando sententia in Senatu, ut seruos a liberis cultus distingueret: deinde apparuit, quartum periculi immineret, si serui nostri nos numerare coepissent.* add. *Idem de uita beata c. 17. Quantum rerum copia ualuerit Vatinius, futor ille gibbosus, uide apud TACITVM lib. XV. Annal. cap. 34. Histor. Lib. I. cap. 37. De alio futore et Cerdone suis impensis sumtuosissima spectacula publica exhibentibus consulatur MARTIALIS Lib. III. Epigram. 16. et 59. Plura exempla hominum plebeiorum eorundemque ditissimorum adducere possemus ex iuris Romani corpore, si Tribonianus ueterum Ictorum fragmenta nobis integra et intemerata reliquisset, neque, uti tamen fecit, pro numeris sestertiorum ibidem positis ex ea forsan causa, quod illorum computandi rationem ignoraret, alios, quales aetate sua usurpabantur, substituisset. uid. CUIACIUS Lib. XIX. obseru. 31. Libertorum plerorumque immensae opes passim memorantur apud Scriptores. Id quod hac de causa maiori admiratione dignum est, quod serui omnia ea, quae ipsis quibuslibet modis obueniebant, dominis suis, quorum subiecti erant pote-*

*Nec minus
libertorum.*

potestati, adquirerent. §. 1. *Inst. de his, qui sui uel alien. neque quidquam proprii haberent.* §. 3. *Inst. per quas personcuiquam adquir.* sed omnia eorum laboribus parta et aliunde in seruili conditione quaesita etiam *post manumissionem* apud dominum iure permanerent. Nihil tamen fecius plerique ex libertis postea, quam e seruitute manumissi, et hoc modo potestatem sibi adquirendi consecuti fuerant, *tantas* sibi parauerunt opes, ut ipsorum quoque Scriptorum, immensas libertorum diuitias memorantium fidem excedere uideantur. *Demetrius*, Pompeii M. liberus, tantis affluebat bonis, ut Amphitheatrum Pompeianum, stupendum urbis Romanae miraculum, et quod incredibilem hominum multitudinem capiebat, *ex suis pecuniis* aedificauerit, tantamque habuerit copiam seruorum, ut pene Imperatoris exercitum referrent. Quid? quod *ipso Patrono* suo Pompeio *locupletior fuisse* creditur Demetrius. DIO CASSIUS *Lib. XXXIX.* SENECA *de tranquillitate animae cap. 8.* Inaudita autoritate et opulencia fuerunt Claudii Imper. *liberti Pepsides, Harpocras, Polybius,* de quibus infra dicendum. Hoc autem loco non possum, quin mentionem faciam reliquorum praefati Imperatoris Claudii libertorum, *Felicis* nempe, *Pallantis* et *Narcissi.* *Felix* erat ille libertus, quem Patronus eius Vniuersae Iudaeae, ut Praesidem prouinciae, praefecerat, et qui tres Reginas in matrimonio habuit, ceu discimus ex ACTIS APOSTOL. *cap. XXIII. et XXIV.* SVETON. *in uita Claudii cap. 28.* TACIT. *Lib. V. Histor. cap. 9.* Hunc etiam immensas opes sibi corrasisse uero est simillimum, si cogitemus amplissimas hominis dignitates, et auaritiam pariter, ac alia uitia, quae haut obscure indicantur in ACTIS APOSTOLORVM *cap. XXIV. uers. 25. seq.* et a TACITO *Lib. V. Histor. cap. 9. fin. Pallas,* qui Claudium Imper. aequae

que patronum habebat, tanta erat omnium rerum abundantia, ut opes illius fere incredibiles in *vulgare proverbum* abierint. *IVVENALIS Satyr. I.* Possidebat enim *ter millies et centies quinquagies sestertium*, i. e. plus minus 9450000. *Imperial. TACIT. Lib. XII. Annal. cap. 53. PLINIUS Lib. XXXV. cap. penult. et Lib. VII. Epistol. 29. Lib. VIII. Epist. 6.* Hunc hominem postmodum Nero Imper. interfecit, quo facultatibus eius potiretur. *TACITVS Lib. XIV. Annal. cap. 65.* Pallante opulentior erat *Narcissus*, eiusdem *Claudii* libertus, qui, *DIONE CASSIO Lib. LX.* narrante, amplius *quater millies sestertium* possedit, hoc est plus, quam *duodecim milliones imperialium*. Hinc patet, *Neronem* apud *TACITVM Lib. XIV. Annal. cap. 55.* vere affirmasse, quod plerique libertorum ditiores fuerint ipso *Seneca*, quem tamen *ter millies* possedisse in §. *antecedente* dictum est. De diuitiis *Licini* consulantur *Vetus Interpres IVVENALIS Satyr. I.* Item ipse *IVVENALIS Satyr. XIV. uers. 306. et PERSIVS Satyr. II. uers. 36.* De *Crispino*, liberto, uideatur *IVVENALIS Satyr. I. et IV. init.* Maximas opes *Polycleti, Asiatici, Patrobbi*, libertinorum, commemorat *TACITVS Histor. Lib. I. cap. 37. 49. et 59. Atilius*, homo libertini generis, a *TACITO Lib. IV. Annal. cap. 62.* publicos exhibuisse ludos dicitur, qui tamen magnam pecuniae uim requirebant. Ceterum amplae plerorumque libertinorum facultates colligi possunt etiam ex iis, quae *Plinius*, dum nimiam Romanorum prodigalitem, sigillatimque in pretiosis Speculis, exagitat, *Lib. I. Histor. Natural. cap. 17.* subiicit: *Iam libertinorum uirguneulis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione.* Dos autem illa fuit *undecim millia aeris*, narrante *VAL. MAXIMO Lib. IV. cap. 4. §. 10.* Quin etiam uestigium opulentiae libertinorum latere mihi uidetur in §. 2. *Infl. de success. libert.*

Edixe-

Edixerat nim. Praetor, ut libertus, facto testamento, decedens dimidiam bonorum suorum partem relinqueret patrono, et, si hic praeteritus fuerit, idem patronus ex Praetoris beneficio uti posset contra tabulas partis dimidiae bonorum possessione. §. I. *Inst. eod. tit.* Edictum autem hoc postea, Anno nempe V. C. 761. Papio Mutilo et Q. Poppaeo Secundo, COSS. suffectis, immutavit *Lex Papia Poppaea*, utpote in qua, memorante Iustiniano *in cit.* §. 2. *Inst. de success. liberr.* sancitum, ut ex patrimonio liberti eius, qui in bonis *sestertium centum*, et uel nullos, uel pauciores, quam tres liberos, reliquisset, patrono deberetur uirilis portio. Quod si autem libertus minus, quam *sestertium centum* (*i. e. 3000. imperial.*) relinqueret, tum liberto libera esse debeat facultas, de bonis suis per ultimam uoluntatem disponendi, et Patronum excludendi. Legislatoribus enim *exigua* ista summa *sestertium centum*, siue 3000. Imper. uidebatur *indigna*, in quam patronus flagitare successionem. Ex his igitur haut absurde colligi posse uidetur, tempore latae huius legis haut adeo solitum fuisse, ut libertus, licet priuati cuiuspiam, decederet, relicto patrimonio tam exiguo, ut ne istam quidem summam attingeret. *confer. PERIZONIVS in Dissert. ad Legem Voconiam p. 171.*

§. III. Cum itaque Romani, equestris pariter, ac plebeii ordinis, diuitias tam immensas possiderent, ideo ipsis etiam luxuriandi, donandique et profundendi materia amplissima suppetiit. De *luxu Romanorum* generatim accipito heic nihil dicam. Isthoc enim argumentum IOH. MEVRSIVS et STANISLAVS KOBIERZYCKIUS, doctissime ac plena manu exposuerunt in peculiaribus libellis, qui *Thesauro Antiquitatum Romanarum GRAEVII Tom. VIII. p. 1220 - 1401.* inserti sunt, et in quibus adeo stupenda at-

Vnde magna Donationum a pud Romanos frequentia.

*Dabium ex
Polybio di-
lucitur.*

que incredibilia recensentur, ut, nisi fides scriptorum, unde ista Doctissimorum Virorum Biga sua hausit, aliis argumentis abunde comprobata sit, uix a nobis possumus impetrare, ut illorum tradita credamus. Maximam illam rerum omnium copiam non potuit non sequi insignis *donationum frequentia*. Et quanquam apud Romanos dona ac munera inter personas quoque cognatas *parum usitata* dicuntur a POLYBIO in *Excerpt. Peiresc. p. 154.* hoc tamen non nisi de illo Romanorum aevo intelligendum est, quo immodicae diuitiae nondum inuaserant Romanam Rempublicam, sed haec paupertatis, frugalitatis ac fortitudinis gloria adhuc florebat. Intellego eam aetatem, qua *Regibus* parebat ciuitas, et temporis libertatis recuperatae *initium*. Sub Regibus enim diuitiae absoluebantur tantum *duobus iugis* PLIN. *Lib. XIII. cap. 2.* circa A. V. C. 292. L. Quinctius Cincinnatus, licet Dictator esset, non tamen plus *quatuor iugis* habebat VALER. MAXIM. *Lib. IV. cap. 4. §. 7.* Attilii Reguli aequae Dictatoria dignitate praefulgentis opes erant *septem iugera* VALER. MAXIM. *cit. cap. IV. §. 6.* M. Scauro, Principi Senatus Romani, fuerunt sola *decem mancipia* et *triginta quinque millia nummum* i. e. uix mille Imperial. Eo etiam tempore dos filiabus Virorum Consularium data pro amplissima habebatur, si uel X. uel XI. *millia aeris* i. e. ne *ducentos* quidem Imperiales attingeret VALER. MAXIM. *cit. cap. IV. §. 10.* ubi ipse monet, ex his tenuitatem patrimoniorum istius aevi haut obscure posse cognosci. At temporibus *Imperatorum* uel Caesarum, ueluti supra dixi, adeo creuerunt facultates ciuium, ut uel ordinis plebei uirgunculis dos ordinaria esset *decies centena* i. e. 30000. imperial. L. 6. §. 1. D. *de usur.* MARTIAL. *Lib. II. Epigrammat. 65. et Lib. XI. Epigr. 24.* IUVENALIS *Satyr. X. prope fin.* Augusteo aevo

aeuo uix pauperculo *X. serui* sufficiebant, sed multi agmina seruorum et Imperatoris exercitum pene referencia habebant. His etiam temporibus saepe uel unus *piscis* emebatur *sex* aut *septem millibus* i. e. *300. florenis* IVVENAL. *Satyr. 4.* MACROB. *Saturnal. Lib. II. cap. 12.*; saepe in unicam coenam impendebantur *tricies sestertium* i. e. *90000.* IMPERIAL. SENECA *Epist. 95.* De Apicio in §. 1. dictum, quod commestrationibus *nongenties sestertium* absumserit i. e. *2700000.* IMPERIAL. Agros iam possidebant interminabiles, notitiamque possessoris excedentes; et supra quoque memoratum est, squalidos saepe sutores spectacula publica immodicis sumtibus exhibuisse. Ex hoc itaque manifestum redditur, maxime cauendum esse, ne *diuersa* Romanae Reip. tempora inter se confundamus. POLYBIUS loco in *superioribus* citato loquitur de aetate Regum et liberae Reipubl. primordio, in quo ciuium paupertas causa erat, cur etiam inter coniunctas personas rarae essent donationes. Nobis autem, dum Romanos in donando effusos et immoderatos fuisse diximus, sermo est de statu Romanorum opulento.

§. IV. Liceat nobis ea, quae de munerum ac donationum apud Romanos frequentia et splendore diximus, aliquot *exemplis* heic illustrare. Pomponius Atticus Ciceroni, in exilium eunti, *ducenta et quinquaginta millia sestert.* h. e. plus minus *10000.* IMPERIAL. dono dedisse scribitur a CORNEL. NEPOTE in *uita Attici cap. IV.* Iulius Caesar populo donauit forum, cuius tantum area *sestertium millies*, seu *tribus millionibus thaleror.* constitit. SVETON. in *Eius uita cap. 26.* Idem Iulius Caesar, adhuc ante bellum ciuile, teste SVETONIO *cap. 50.* Seruiliae, cuius amore captus erat, uel unicam margaritam *sexagies* i. e. *180000.* IMPERIAL. constantem, largitus est, eidemque praeterea bel-

Exemplis illustratur Donatio- num apud Romanos frequentia ac magnificen- tia.

lo civili, super alias donationes, amplissima praedia ex aucti-
tionibus hastae minimo addixit. *Octavius Augustus* Im-
per. in cellam Capitolini Iouis *sedecim millia pondo auri*, (En-
stupendam liberalitatem!) gemmasque et margaritas quin-
genties *sestertium* (150000. *thaler*) una donatione contulisse
memorat SVETONIVS *in uita Eius. cap. 30. Tiberius* Im-
per. magna urbis parte incendio consumta, dominis exu-
starum aedium donauit *millies sestertium* h. e. *tres milliones*.
TACITVS *Lib. VI. Annal. cap. 45.* De aliis, iisdemque
magnificentissimis Octauii Augusti et sequentium Impe-
ratorum donationibus, nihil dicam. Hoc tamen silentio
praetermittere non possum, quod Nero Imper. *his et uicies*
millies h. e. *sexaginta sex milliones* imperialium donationi-
bus profuderit, teste TACITO *Lib. I. Histor. cap. 20. add.*
SVETON. *in uita Neronis cap. 30.* De Plinii liberalitate
plurima exempla prostant. Ipse enim de se scribit, do-
no se dedisse 1) *Metilio Crispo*, municipi suo, *quadraginta*
millia nummum i. e. iuxta computationem Gronouii *1200.*
Imperial. Lib. VI. Epist. 25. 2) *Caluinae* *centum millia* *sestertium*
i. e. *3000.* *Imperial.* et amplius, *Lib. II. Epist. 4. 3.)* Reip.
suae *undecies sestertium* i. e. *33000. thaler. Lib. V. Epist. 7. 4)*
Quintiliani, Praeceptoris sui, filiae nubenti, ad uestes ali-
osque muliebres ornatus comparandos, *quingenta mil-*
lia nummum i. e. *1500.* *Imperial. Lib. VI. Epist. 32.* 5) Roma-
no Firmio, municipi suo, ad equestrem dignitatem con-
sequendam, *trecenta millia nummum* i. e. *9000.* *imperial. Lib. I.*
Epist. 19. 6) Artemodoro, Philosopho magnam pecuniae
summam *Lib. III. Epist. 11.* Sic Idem Plinius etiam Curiano,
Gratillae filio, legatum remisit *Lib. V. Epist. 1.* Vt alia lar-
gitionum a Plinio factarum exempla silentio praeteream.
Neque etiam ea scire possum, quae literarum monumentis
non deprehenduntur consignata. Tu uero ex modo
dictis

dictis perpende, quam frequentia et magnifica apud Romanos iis temporibus dona non minus ac munera fuerint. De muneribus in diebus natalibus mitti solitis uideantur *De uariis L. 31. §. 8. de donat. inter Vir. et Vx. L. 194. de Verb. Signif. donationum generibus et Scriptores a Plurimum Reuer. FABRICIO in Bibliographia remissive. Antiquaria. cap. XX. §. 12. p. m. 607. citati, atque in compendio Excellent. HEINECCIUS in doctissimo Syntagmate Antiquitat. Rom. ad Instit. Lib. II. Tit. VII. §. 6. De muneribus, die lustrico, infanti et puerperae dari consuetis, uid. Id. HEINEC. cit. loc. §. 6. De Strenis, seu muneribus, quae Romani Kalendis Ianuariis mutuo sibi mittebant, consulantur THOM. DEMPSTERI Additiones ad ROSINI Antiquit. Rom. Lib. I. p. m. 28. sq. et MARTINI LIPENII Historia strenarum in Tom. XII. Thesaur. Antiquit. Rom. Graeviani. De muneribus Saturnalibus plena manu agunt MACROBIVS et I. LIPSIVS in Saturnalibus. De Matronalibus uid. TIBVLLVS Lib. III. Eleg. 1. uers. 1. MARTIAL. Lib. X. Epigr. 24. OVIDIVS. Lib. 3. Fastor. De donis, quibus hereditariae, seu hereditati alienae inhiantes, illos, quorum captabant hereditates, afficiebant, copiose et eleganter actum in Dissert. Illustr. THOMASII de iure iniusto hereditarum. Ceterum haut insolitum erat, ut ipsi etiam serui de peculio suo dona in dominum aliquando conferrent. TERENCEIVS in Phormione Act. 1. Sc. 1. uers. 5. sq. Liberos quoque, Eriam liberti patronis suis donabant. dum manumittebantur, patronis uolentibus munera pro inaeestimabili libertatis beneficio praestanda, iurata fide promittere debuissent, res satis nota est. uid. L. 44. de liberal. caus. L. 7. L. 37. de oper. libert. CAIVS in Instit. Lib. II. Tit. IX. §. 4. ibidemque OISELIVS in not. et QVINTILIANVS Declam. ult.*

§. V. Tantum uero abfuit, patronos in petenda ista Sed uicissim a patronis suis susceptis sine dona neri recipiebant. munerum promissione, et, hac licet praestita, in ipsis muneribus

neribus exigendis *rigidos* semper et acerbos fuisse, ut potius iidem illi *patroni* quam saepissime multa eademque frequentia dona in *libertos* suos charissimos contulerint. Comprobare hoc possunt libertorum diuitiae, quas supra commemorauimus, quae profecto maximam partem ex largitionibus patronorum prouenerunt. Hoc enim si negare, et patronorum munificentiam, ac iuuandi studium erga manumissos suos in dubium uocare uellemus, uix mente concipi posset, quibusnam demum mediis ad tantas opes emerferint, qui haut ita pridem a dominis in libertatem uindicati erant, facultatum omnium expertes. Equidem non diffiteor, liberos opulentiores aliquam bonorum suorum partem *proprio labore*, ac arte, quam forte callebant, medendi, pingendi, instrumentis musicis canendi, negotiandi, etc. alioque studio sibi peperisse, id quod uel solae *L. 19. de oper. libert.* in uerbis: *ad quaesum faciendum.* et *L. 18. de iure patron.* in uerbis: *idem negotiū exercere.* indicant, et praeterea non obscure confirmat exemplum *Demetrii*, liberti Pompeiani, eiusdemque nobis *in antecedent. §. 2.* memorati, qui, auctore *DIONE CASSIO Lib. XXXIX.* possessiones suas praecipue operis bellicis adquisiuit. Interim tamen utique uerum manet, opes libertorum ualde auctas esse patronorum largitionibus. Neque est, cur hanc liberalitatem patronorum erga liberos mireris. Hi enim optime callebant artes gratiam patronorum aucupandi, eosque ad munificentiam uersute inuitandi. *L. 1. C. de reuoc. donat.* in uerbis: *qui obsequiis liberalitatem patronorum prouocauerunt.* Neque etiam destituebantur *occasionebus* maxime opportunis ista consilia sua exequendi. Aderant ipsi patronis assidui comites. *L. 38. in fin. de oper. libert.* negotia illorum administrabant. *L. 19. de iure patron. L. fin. de inslit. act.* et si forte medici erant

erant, manumittentis familiam aegrotantem curabant, uel si musices periti, arte sua patronos uoluptate permulcebant. *L. 25. L. 26. L. 27. de oper. libert. L. 41. de fideic. libert. L. 10. de ann. leg.* Illorum mala consilia collaudabant et operis suis, uti administri fidelissimi, iuuabant; ut taceam modos alios, quibus occasio erat, de Patronis bene merendi, eorundemque gratiam uel officiis, uel blanditiis, et adulationibus, uel artibus aliis, ineundi. Rebus igitur hisce ita comparatis nemini mirum esse debet, quod liberti apud patronos suos multum autoritate ualuerint, atque his adeo plerumque in delitiis fuerint, ut per istos omnia manumittentium negotia gererentur. Ecquis ignorat, quantam autoritatem, potentiam et existimationem in quorundam Caesarum aula liberti habuerint? De Poside, Felice, Harpocrate, Polybio, Narcisso et Pallante, libertis Imperatoris Claudii *uid. SVETONIVS in Eius Vita cap. 28. TACIT. Lib. XII. Ann. cap. 60. fin. et Lib. V. Histor. cap. 9. Hormas, libertus Vitellii, erat belli Dux uid. TACIT. Lib. III. Histor. cap. 12. fin. et libertis innotescere illis temporibus pro magnifico accipiebatur TACIT. Lib. VI. Ann. cap. 8. prope fin. De Parthenio, Domitiani liberto, uid. SVETONIVS in Vita Domitiani cap. 16. et de Asiatico, Vitellii Caesaris liberto, ad equestrem dignitatem a patrono suo euecto, TACIT. Lib. II. Histor. c. 95. Paucis uerbis, sed grauius tamen, libertorum Caesareanorum potentiam depingit, et Traianum, quod tantam potestatem libertis suis negaret, collaudat PLINIVS in *Panegy. cap. 88.* Neque minus *priuatorum* libertos plurimum apud patronos ualuisse, ex innumeris argumentis colligi potest. Passim idem in *Inscriptionibus apud GRVTERVM* uocantur *charissimi, optimi, benemerentes, benemeriti, gratissimi, etc.* Eadem dulcia nomina libertis tributa etiam in quam pluribus*

bus legibus iuris Rom. occurrunt. Omnium fere patroni consiliorum reddebantur participes. Adhibebantur in diuortii I V V E N A L. *Satyr. VI. uers. 144. L. 9. de diuort.* Saepe a patronis suis in ultima uoluntate constituebantur *tutores L. 64. pr. de R. N. L. 43. de excusat. L. 10. C. de ad- ministr. tut.* Atque hoc modo liberti non poterant, quin patronorum liberalitatem saepissime experirentur. Non enim solum quam plurimis legatis honorabantur, id quod *Leges librorum XXX, XXXI. et XXXII. D. de legat.* abunde confirmant; sed inter uiuos etiam multis donis afficiebantur, quemadmodum tam ex iis, quae haecenus dicta sunt, quam ex *L. 35. de donat. L. 1. L. 8. C. de reuoc. donat. L. 12. §. 8. mandat.* neque minus ex SALVIANO *Lib. III. ad Eccles. Catholic.* (apud DEMPSTERVM *in addit. ad ROSINI Antiquit. Rom. Lib. 1. cap. 20. p. m. 78.* ubi patronorum liberalitatem erga *libertos* mirifice depraedicat) haut obscure colligitur.

De raritate donationum praesentis temporis querelae.

§. VI. De raritate et mira donationum infrequentia *hodiernis* temporibus, multae non rudium modo, sed doctorum quoque hominum querelae audiuntur satis frequentes. DOMINICVS BAVDIVS, *ICtus Batauus, Cent. 2. Epist. 38.* persuasum sibi habebat, titulos iuris, de donationibus agentes, senio et usu obsoleuisse. Idem quoque complures alii dolent. Ast licet negari nequeat, nostri aevi diuitias ac rerum affluentiam, ne umbram quidem Romani splendoris, quem supra paucis delineauimus, referre; praeterea etiam Germanos, uti a reliquis Maiorum suorum uirtutibus, ita etiam a liberalitate, eaque, si exigua illorum patrimonia cogites, praeclara, et a TACITO *de Mor. Germ. cap. XXI.* laudata defecisse; Interim tamen largitiones, etsi amplissimas Romanorum donationes nullatenus aequant, nondum *penitus* exoleuisse,

uisse, experientia confirmat: Neque in foris adeo rara sunt exempla *remissionum* ac *renunciationum*, quippe quae tamen pariter donationibus accensentur. *L. 23. de donat. L. 12. de donat.* Ceterum nemo diffitebitur, in praesens quoque aequum et mores Germanorum apte quadrare, quod iam olim male habuit *Danum* apud TERENT. in *Phorm. Act. I. sc. I. uers. 5.* quod nim. dona praecipue in diuites et indignos conferantur. *Add. AVGVSTINVS in can. 7. et sqq. distinct. 81.*

§. VII. Donationem generatim acceptam, nihil aliud esse, quam actum, quo quid in alterum ab alio liberaliter et ^{De donationibus im-} ^{propriis, ea-} ^{proprie, ca-} ^{rumque na-} ^{reuo-} ^{ratio-} ^{nis, specta-} ^{ta.} *citra iuris necessitatem confertur*, ne tirones quidem ignorant. Sic etiam tralatitium est, donationes in uaria genera abire. Summa earundem diuisio est in *proprias* et *improprias*. *L. 1. pr. de donat.* *Propriae* sunt, quae naturam donationis integram retinent, et inter uiuos ex mera liberalitate, ac citra expressum reuocandi animum conferuntur. *Impropriae* uero audiunt, quae naturam donationum integram non habent. Cuiusmodi sunt 1) donatio sub conditione suspensiuâ in alterum collata. *cit. L. 1. pr. uers: dat aliquis.* 2) donatio, quae facta sub conditione resolutiua, ut nempe res donata, si hoc aut illud fieret, uel non fieret, reuocetur. *dict. L. 1. pr. uers: Item cum quis ea mente dat.* 3) dos, haec enim uel ex ea ratione donationibus impropriis accensenda est, quod non detur ex mera liberalitate, sed ob causam, scil. propter matrimonii onera. 4) donatio propter nuptias, quae itidem non sine reuocandi animo, neque ex mera liberalitate proficiscitur, sed tantum in securitatem dotis concedi solet. *L. 1. §. 1. de donat. tot. tit. C. de donat. ante nupt.* Idem 5) dicendum de legatis, quae in §. 1. *Inst. de legat. L. 36. de legat. 2.* uocantur donationes impropriae. Huc etiam 6) pertinent donatio-

nationes, quae sub modo fiunt, et, modo non secuto, conditione reuocari possunt. *L. 1. et tot. tit. C. de donat. quae sub modo.* Itemque 7) donatio remuneratoria, quae nimirum ob merita donatarii in donantem singularia conferitur. *L. 1. pr. in uerb: propter nullam aliam causam. et L. 27. L. 34. §. 1. de donat.* neque minus 8) donatio mortis causa, *L. 1. pr. eod. tit. uerbis: qualis est mortis causa donatio.* Omnes hae donationum species uel solo reuocationis intuitu mirifice inter se differunt. Quantum enim ad donationes improprias, et primo ad donationem sub conditione *suspensiu*a factam attinet, expediti iuris est, hanc, pendente conditione, neque cum effectu exigi, *arg. L. 213. pr. de V. S.* neque donatario inuito ualide sine iusta, eaque legibus probata, causa reuocari posse. *arg. L. 8. de peric. et commod. rei uend.* *Suspensiu*ae enim conditionis, eiusdemque pendentis, haec natura est, ut ea, quae sub eadem promissa sunt, ante illius existentiam neque peti cum effectu, neque citra alterius consensum, reuocari possint, sed expectari debeat, num conditio exstitutura sit, an defectura. Si deficit, perinde est, ac si statim ab initio nulla promissio intercessisset. *arg. cit. L. 8. pr. de peric. et commod.* eadem uero impleta, promissio statim ab initio pro pure facta habetur. *L. 26. de condit. insit.* Donatio inita sub conditione *resoluiua*, hac existente, perinde habetur, ac si statim ab initio fuisset irrita. *arg. L. 2. de in diem addict.* atque tum citra omnem dubitationem reuocari potest. *Dos* autem, seu donatio ad ferenda onera matrimonii facta, soluto matrimonio, ipsa quoque soluitur, et iure repetitur. *tot. tit. de solut. matrim. dos quemadm.* *Legata* non nisi legantis morte confirmari, ideoque a uiuo testatore pro lubitu reuocari, notum est. *L. 4. de adim. uel transfer. legat.* Donationes *sub modo* factas, modo non impleto, conditione

dictione causa dat. caus. non secut. reuocari posse, *supra* diximus. *Remuneratoriae* autem donationis ea indoles est, ut omni reuocationi penitus exempta sit, licet per illam portio legitima laedatur, et donatarius erga donantem ingratus extiterit. At *mortis* causa largitiones aequae, uti legata morte demum confirmantur, et propterea a donante pro lubitu ac sine causa reuocari queunt. §. 1. *Inst. de donat.*

§. VIII. Sed mittimus donationes improprias, et haec occupati tantum sumus in euoluenda donationum *propria* *indole*, eaque intuitu reuocationis spectata. Sunt autem donationes propriae, seu tales, quae inter uiuos ex mera liberalitate citra conditionem et expressum reuocandi animum peraguntur, ita comparatae, ut inuito donatario reuocari nequeant. *Id* quod non solum fuit ex communi natura conuentionum et promissionum, utriusque partis consensu perfectarum, quas uel solum rectae rationis dictamen sancte seruandas et custodiendas inculcat; sed etiam non potuit, quin talis reuocationis prohibitio in iure *civili* multoties repeteretur. Hinc donationum *propria* hanc inprimis indolem esse, ne ad donatorem reuertantur, docent IULIANVS in *L. 1. pr. de donat.* et IVSTINIANVS in §. 2. *Inst. eiusd. tit.* Eodem modo tales donationes poenitentiae et reuocationi obnoxias esse negant Impp. in *L. 2. 3. 4. et 5. C. de reuoc. donat.* Cum enim ab initio cuilibet liberum sit, an pacisci, uel donare uelit; postea, ubi semel fides data, et mutuo consensu perfecta est donatio, non amplius poenitentiae locus relinquitur. *L. 17. §. 3. commod. L. 31. de Obl. et Act. L. 5. C. eod.* Grauius ergo, sed iustissime tamen DIOCLET. et MAXIM. Impp. *Heremiae* in *L. 6. C. de Reu. don.* rescripserunt: *Velles, nec ne; praedia, itemque mancipia donare,*

Donationum propria indoles est, quod reuocari nequeant.

nare, fuit in initio tibi liberum. Desine itaque postulare, ut donatio, quam perfeceras, reuocetur. Idem quoque ingerit IVSTINIANVS in L. 35. §. 5. C. de donat. Cum enim, inquiens, in arbitrio cuiusque sit, hoc facere, quod insiuit: oportet eum uel minime ad hoc proficere, uel, cum ad hoc uenire properauerit, non quibusdam excogitatis artibus suum propositum defraudare, tantamque indeuotionem quibusdam uelamentis protegere. add. L. 6. L. 7. C. de condic. ob caus. Neque alia mens Maioribus nostris fuisse credenda est, utpote qui caeteras gentes in fide seruanda praestabant. TACIT. Lib. XIII. Annal. cap. 59. et quorum in explendis promissis integritatem aureae paroemiae tam in IVR. PROV. SAX. Lib. 1. Art. 7. Wer etwas gelobet/der soll es gelten/ und was er thut/ das soll er SIE halten; quam IVRE ALEMANN. cap. 12. Was der Mann gelobet/ das soll er SIE halten; satis clare confirmant.

Modo sint perfectae.

Quando propriae donationes dicuntur perfectae?

§. IX. Ceterum res ipsa loquitur, ea, quae de illicita donationum propriarum reuocatione dicta sunt, non intelligenda esse, nisi de eiusmodi propriis donationibus, quae debitam perfectionem obtinuerunt. Ut uero perfecta dici possit donatio, requiritur, I.) ut facta sit ab eo, qui liberam rerum suarum administrationem habet, neque speciatim impeditur, aut uetatur, res suas largitionibus in alterum transferre. arg. L. 14. C. de donat. II.) ut donator uoluntatem donandi sufficienter declarauerit. Priscis Romanorum temporibus minime sufficebat sola uoluntatis declaratio, quibuslibet modis peracta; sed ex Lege Cincia A. V. C. 549. a M. Cincio Alimento, Tribuno plebis, lata, necessarium erat, ut accederet solennis mancipatio, in rebus scil. mancipi, uel traditio, in rebus non mancipi. Hisce solennitatibus neglectis, ipsa etiam irrita erat donatio. uid. BRVMMER in Comment. ad L. Cinciam cap. XIII. et XIV.

XIV, p. m. 193-249. Deinceps ANTONIVS PIVS Imper. in donationibus inter personas *coniunctas* celebratis mancipationem et traditionem remisit. *L. 4. Cod. Theod. de donat. confer. BRVMMER. in laudata Comment. cap. XV. §. 2, 3. et 4.* Iuris quoque erat, ne donatio ualide fieret uerbis *generalioribus*, sed requirebatur, ut *singulae* res donandae nominarentur, et, inter personas extraneas modo solenni, *traderentur*, ueluti patet ex rescripto DIOCLETIANI et MAXIM. Imp. in *L. I. Cod. Hermog. de donat. apud SCHVLTINGIVM in Iurispr. Ante-Iustin. p. 713.* Secuto tempore CONSTANTINVS CHLORVS, Eiusdemque Filius, CONSTANTINVS M. sanxerunt, ne donationes ratae et perfectae haberentur, nisi illae, in quibus interuenerit mancipatio, uel traditio solennis, et quae in *scripturam* recte redactae, pariter ac publicis actis *insinuatae* essent. *L. 1. Cod. Theod. de sponsal. L. 1. L. 3. Cod. Theod. de donat. L. 25. Cod. Iustin. eod. tit.* A THEODOSIO autem ac VALENTINIANO Imp. tam *scriptura*, quam necessitas *insinuandi*, ceteris paribus, abrogata. *L. 29. C. de donat.* Denique ipsa *mancipatio* aut traditio remissa est. *L. 37. C. de donat. Nou. 162. cap. 1.* Quam ob rem secundum haec iura *recentiora* declaratio uoluntatis donandi nullas amplius solennitates desiderat, sed animus donandi *declarari* potest non solum inter praesentes, uerum inter absentes quoque, per nuncium, aut per procuratorem; neque quidquam interest, utrum uerbis ore prolatis, an scripto comprehensis manifestata sit donandi uoluntas, ita, ut promissione sua obligetur donans, si uel maxime traditio nondum secuta. *§. 2. Inst. de donat. L. 35. §. 5. C. eod. tit.* Porro ad perfectionem donationis requiritur, III.) ut collata sit in illum, qui neque impeditur, neque prohibetur donum *accipere.* *arg. L. II. C. de donat. IV.)* Ut donatarius donationem *acce-*
ptauit

ptauerit, seu in eandem consenserit. Antea enim, quam hoc factum est, donatori salua manet potestas adhuc *potestatis* *reuocandi*, et donationem, tanquam imperfectam, pro libitu *reuocandi*. *L. 55. de Obl. et Act. L. 10. L. 19. §. 2. de donat. L. 10. C. eod. tit.* Equidem non ignoro, necessitatem *acceptandi* a Summo, et ceteroquin de emendanda Iuris priuati prudentia immortaliter merito *ICto*, ANTON. FABRO. *Decad. XLVII. Error. Pragmat. 1.* in dubium uocatum, hancque *Fabri* sententiam haut ita pridem a *Viro quodam Illustri* resuscitatam, et in peculiari dissertatione copiosius defensam esse; Cum tamen mihi uideatur explicatio ista uariis adhuc premi dubiis, quae, quo minus in medium heic proferam, instituti mei ratio impedit; idcirco interpretationem illorum, qui ad donationis perfectionem consensum seu acceptationem donatarii requirunt, in praesenti loco retinere malui. V.) ut donatio, cuius aestimatio 500. solidos excedit, secundum recentiorum IVSTINIANI sanctionem in §. 2. *Inst. de donat. et L. 36. §. 3. C. eod. tit. actis publicis insinuata sit.* Hac enim insinuationis solennitate neglecta, donatio pro ea summa, quae 500. solidos excedit, nullitate laborat, et a donatore *reuocari* potest. *Traditio* autem rerum donatarum ad donationis perfectionem non requiritur, sed duntaxat *consummationem* actus constituit. §. 2. *Inst. de donat.* Et, licet in Saxonia, immo in *omnibus* Germaniae prouinciis, in quibus iura Germanica non deprehenduntur abrogata, dominium rerum immobilium in emtorem, permutantem, donatarium, etc. non transeat, nisi accesserit *iudicialis resignatio*. *IVS PROV. SAX. Lib. 1. Art. 52. et IVS PROV. SVEVIC. cap. 148.* tamen donatio rerum immobilium sine hac resignatione *perficitur*, et resignatio ista tantum ad *consummationem* actus et translationem dominii pertinet.

net. Hinc donans, facta promissione et acceptatione se-
cuta, non ad tradendas solum, sed etiam ad iudicialiter
resignandas res immobiles donatas obligatus est.

§. X. Liquet ex hactenus dictis, donationes proprias, *Casus exce-*
easque perfectas, *renocari* non posse. Quod ipsum adeo *pri, in qui-*
uerum est secundum Ius Naturae, ut *hoc* causas reuocandi, *bus dona-*
in Iure ciuili traditas, penitus ignoret. Nam rectae ratio- *tionum pro-*
nis dictamini donatio *inofficiosa*, seu talis, quae legitimam *priarum re-*
liberorum portionem laedit, sine dubio est incognita. Si *uocatio per-*
quidem portio legitima, etiam liberorum, utique non *missa.*
iuri *naturali*, sed mere *ciuili* originem suam debet, quidquid
demum alii dissentiant. Neque etiam putandum est, Ius
Naturae donationis reuocationem ex capite *ingratitude*
approbare. Notum est, quam male a Viris Doctis audiit
BOECLERI dissertatio, in qua Autor actionem ingrati iu-
re naturali proditam esse, multis ratiunculis probare au-
sus est, quem tamen post tot alios Viros Celeberrimos
Illust. COCCEIUS in Vol. II. dissert. de Antidosis. XLIII.
more suo, id est, doctissime et solidissime confutauit.
Quanquam itaque donationes perfectas, easdemque tales,
quae nobis propriae audiunt, ius *naturae* adeo ratas fir-
masque habet, ut *nullum* medium illas euertendi suppedi-
tet; Tamen iure *ciuili* Romanorum aliquot causae, eius-
modi donationes euertendi et reuocandi, proditae ap-
parent, quae nobis hoc loco commemorandae ueniunt.
Primus ergo casus donationem reuocandi est, *si donatarius, Primus ca-*
ueluti ait IVSTINIANVS in *L. fin. C. de reuoc. donat. in-*
gratus erga donatorem inueniatur, ita, ut 1) iniurias atroces, si do-
in eum effundat, uel 2) manus impias inferat, uel 3) iacturae *natus in-*
molem ex insidiis suis ingerat, quae non leuem sensum substan-
tiae donatoris imponat, uel 4) uitae periculum aliquod ei imule-
rit, uel 5) quasdam conventiones, siue in scriptis donationi im-
positas,

positas, siue sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spondit, minime implere uoluerit. Add. Auth. Quod mater. C. de reuoc. donat. Ob unam ex his causis, ceu dixi, licita est donationis etiam totius reuocatio, modo donante et donatario adhuc uiuis fiat, L. 10. in fin. C. de reuoc. donat. Ceterum species ingratitude in cit. L. fin. expressas, ad similes et expressis aequales minime extendendas esse censeo, licet communis Interpretum schola cum LAVTERBACHIO in Colleg. Theoret. Pract. Digest. tit. de donat. et SCHILTERO Exerc. XLIII. ad ff. §. 20. 21. 22. uehementer reclamet. Quae enim dissentientes de aequitate extendendi, et odio in ingratum asserunt, mihi rem neutiquam conficere uidentur; si quidem maius utique odium esse debet uiolatae fidei donatoris. Cui accedit, quod Ius Iustinianum in causis donationem reuocandi, a iure naturali, quod actionem ingrati ignorat, non parum deflectat, et uel ex hoc capite extensio istarum ingratitude causarum prohibeatur. Ut taceam ipsos Impp. in L. 9. C. de Donat. Reuoc. in uerb. ex causis, quae Legibus continentur. et L. 10. eod. tit. in uerbis: iis tantummodo causis. similes ingratitude species luculenter exclusisse.

Secundus casus, si donatio inofficiosa.

§. XI. Secundus casus, quo donationis reuocatio perimititur, est, si donans, animo illos, quibus legitimam relinquere tenebatur, debita ista portione fraudandi, et testamenti inofficiosi querelam impediendi, patrimonium suum donationibus adeo exhausit, ut personis istis non salua sit legitima. Hoc enim in casu, defuncto donatore, liberis uel ceteris personis, quibus legitima debetur, et qui tempore huiusmodi donationis iam in uiuis existerunt, potestas competit, donationem illam fraudulenter factam, sine discrimine conditionis donatariorum, non tantum pro quantitate legitimae portiois, sed totam quo-

quoque *reuocandi. tot. tit. Cod. de inofficios. donat.* De hac reuocationis causa copiosius agit *Illustr. THOMASIVS in dissert. de legitima uiuentis*, ubi quam plurimos errores, quibus Interpretes in explicanda doctrina de inofficiosis donationibus abripiuntur, optime denudat, atque refellit.

§. XII. A donationibus *inofficiosis*, seu iis, quae ad excludendam querelam inofficiosi testamenti fraudulentè peraguntur, eandemque ob causam reuocationi subiacent, diuersus est casus *tertius* in *L. 5. C. de inofficios. donat.* comprehensus. In hac enim lege Imp. DIOCLETIANVS et MAXIM. rescribendo constituerunt, ut eo in casu, quo quis omnes facultates suas in alterum donationibus transfudit, donatori autem post peractam donationem tantum non suppetit, unde liberos postea, ex iusto matrimonio superuenientes, alere queat, ut, inquam, tum donator quartam partem, seu tantum, quantum ad legitimam portionem liberorum, post donationem adgnatorum, sufficit, restituere teneretur, et ad quartam istam consequendam ipsi patri donatori ius reuocandi competeret. Huius constitutionis *ratio* repetenda uidetur ex obligatione, qua donatarius ad *alimenta* donatori egenti subministranda tenetur. *arg. L. 19. §. 1. L. 30. L. 49. de re iudic. L. 12. L. 33. de donat.* Equidem Interpretes tantum non omnes persuasum sibi habent, in *cit. L. 5.* donationem inofficiosam contineri; Sed in hoc turpiter profecto falluntur, ueluti id ipsum *Illustr. THOMASIVS in supra laudata dissert. de legitima uiuentis. cap. 2. et 3. passim* solidissimis rationibus confirmauit. Et quominus reuocatio donationis, tam ex capite inofficiosi, quam ex hac *L. 5. C. de inofficios. donat.* eodem censu habeatur, prohibent sequentes potissimum *differetiaez*, quae inter utramque reuocationis speciem intercedunt. Nam. 1) reuocatio donationis ex capite in-

Tertius casus, si omnibus bonis donatis, superueniant liberi ex L. 5. C. de inoff. donat.

Differetiaez inter reuocationem ex capite inofficiosi, et ex L. 5. C. de inoff. donat.

D

ficiosi

ficiosi fieri non potest, nisi donans animum liberos suos portione legitima fraudandi et inofficiosi testamenti querelam excludendi habuerit *L. 87. §. 3. de legat. 2.* in uerb: *inuertendae inofficiosi querelae. L. 1. C. de inoffic. donat.* in uerb: *ad eludendam inofficiosi querelam. L. 7. C. eod.* in uerb: *ad excludendam inofficiosi testamenti querelam.* Ast reuocatio *ex cit. L. 5. C. de inoffic. donat.* tum demum locum habet, si in donatore eiusmodi animus fraudandi *absuit*, neque abesse non potuit, quia demum post donationem peractam liberi superuenerunt. 2) Reuocatio inofficiosae donationis datur ob liberos, tempore donationis, a patre factae, iam *natos*, et in legitima portione a donatore fraudulenter laesos; cum liberis, tempore donationis factae nondum natis, hautquaquam dici posset, donationem in illorum fraudem susceptam fuisse, et propterea labe inofficiosi laborare. Ast reuocatio *ex L. 5. C. de inoffic. donat.* competit ob liberos *post* donationem peractam ex legitimo matrimonio *superuenerentes*. 3) Reuocatio donationis inofficiosae datur non solum *liberis*, sed etiam *caeteris* personis, quibus portio legitima debetur, et in quorum fraudem donatio facta est *L. 4. C. cit. tit.* in uerbis: *si filius tuus. L. fin. C. eod. iunct. §. 1. Inst. de inoff. testam. et L. 27. C. eod. tit.* At reuocatio *ex L. 5. C. de inoffic. donat.* datur non nisi superuenerentibus donatoris *descendentibus* ibi: *ut filii uel nepotes*. 4) Reuocatio inofficiosae donationis fieri non potest ab *ipso* donatore, sed *illo* demum *mortuo*, a liberis eius, uel caeteris personis, quorum legitima portio immodicis largitionibus a donatore fraudata est. *L. 3. C. de inoff. donat.* Sicuti enim querela *inofficiosi testamenti* non datur ipsi testatori, sed demum hoc defuncto *liberis*, aut aliis personis, quibus legitima debetur; ita ne donationis quidem reuocatio, ex capite inofficiosi, *ipsi donatori*, aut illi adhuc

adhuc uiuo dabitur, siquidem *utriusque* querelae, tam in-
 officiosi *testamenti*, quam inofficiosae *donationis*, eadem
 causa est, et in *doles L. fin. C. de inoff. donat.* Reuocatio au-
 tem ex *cit. L. 5. C. eod.* non datur *liberis*, sed tantum *uiuo*
donatori ibi: *ad patrimonium tuum reuertetur.* 5) Donatio
 inofficiosa non saltim usque ad *legitimam*, sed utique *tota*
 reuocari potest, sine distinctione personarum, donationem
 recipientium. Sicuti enim in *L. fin. C. de inoffic. donat.*
 querela inofficiosae *donationis* per omnia similis esse dici-
 tur querelae inofficiosi *testamenti*; et uel tyronibus notum
 est, hac posteriori querela secundum Iura Digestorum et
 Codicis *totum* testamentum infirmari: Ita etiam non po-
 tuerunt non Imperatores in constitutionibus suis, sub *tit.*
Cod. de inoffic. donat. comprehensis, querelae *utrique* ean-
 dem uim tribuentes, hoc ipso simul indicare, quod reuo-
 cationi inofficiosa donatio *tota* subiaceat. Verum longe
 alia conditio est reuocationis ex *cit. L. 5. C. eod.* Haec enim
 non *in totum* reuocari potest, sed tantum *pro ea parte*, quae
 loco alimentorum ad liberorum superuenientium legiti-
 mam portionem sufficit, ob uerba; *id, quod ad submouen-*
dam inofficiosi testamenti querelam liberis relinqui necesse est,
ex factis donationibus detractum, ad patrimonium tuum re-
uertetur.

§. XIII. Quemadmodum uero, ex *antecedenti* §o, uti *A modo*
 opinor, clare apparet, quantopere modus, donationes ex *reuocanda*
 capite inofficiosi euertendi, a specie reuocationis ob su- *ex L. 5. C.*
 peruenientiam, seu agnationem liberorum in *L. 5. C. de donat. dif.*
inoffic. donat. comprehensa, discrepet; Sic praeterea mani- *ferr casus-*
 festum est, etiam inter posteriorem istum ex *cit. L. 5. re-* *in L. 8. C.*
 uocandi modum, et illum, qui in *L. Si unquam. 8. C. de* *de reuoc.*
reuoc. donat. traditur, non minus discrimen intercedere.
 Licet enim negari nequeat, utramque reuocandi causam,

scil. tam ex *L. 5. C. de inoffic. donat.* quam ex *L. 8. C. de reuoc. donat.* praesertim in his inter se conuenire, quod α) *utraque* superuenientiam liberorum seu descendentium, et β) donationem, sine animo liberos legitima portione fraudandi peractam, supponat, pariter ac γ) *utraque* donationis reuocatio, quae tam ex *cit. L. 5.* quam ex *L. 8.* permittitur, ab ipso donatore fieri possit. Attamen differentiae, eaeque potiores in medium heic adducendae satis declarant, utramque donationes infringendi causam in multis capitibus haut parum inter se *distingui*. Nam I) causa reuocandi ex *cit. L. 5.* donationes, a *quolibet cuiuslibet* factas, respicit; uerum illa, quae in *cit. L. 8. de reuoc. donat.* traditur, non ad omnes donationes, sed ad illas tantummodo pertinet, quae a *patrono* in *libertum* conferuntur, id quod inferius ex instituto nobis demonstrandum est. II) Reuocatio ex *L. 5.* non datur, nisi eo in casu, quo *omnia* donatoris *bona* donationibus absumta sunt *dict. L. 5.* in uerbis: *totas facultates*; At ex *L. 8.* donatio, a patrono in liberos collata, reuocari potest, non solum eo casu, quo uniuersa bona, sed tum quoque, ubi duntaxat *pars bonorum*, donatione translata sunt *cit. L. 8.* in uerbis: *bona omnia, uel partem aliquam fuerit donatione largitus*. III) Donatio ex *L. 5.* non reuocatur, si uniuersorum bonorum donator aliunde habet, quo se, suosque liberos alat. Ista haec enim reuocatio tantum ea ex causa permessa uidetur, ne donator cum liberis, sibi adgnatis, egeat *uid. §. praeced. XII. prope init. et saepe cit. L. 5. C. de inoffic. donat.* ibi: *ut debitum bonorum subsidium consequantur*. Sed uero ad dissoluedas donationes, a patrono in libertum factas, ex *cit. L. 8.* sola causa agnationis liberorum sufficit ob uerb: *et postea susceperit liberos*. IV) Reuocatio donationis ex *L. 5.* caeteris paribus, tum quoque locum habet, si donatori, factae

ctae donationis tempore, liberi quidem fuerunt, sed postea tamen *plures* adgnati sunt, qui aliunde non possunt sustentari. *arg. cit. L. 5. in uerbis: quas in filios emancipatos contulisti.* Ast reuocatio ex *L. 8.* tum demum conceditur, si patronus donator, tempore factae donationis, *nullos liberos* habuit, uerum demum *postea* prolem genuit *dict. L. 8. ibi: filios non habens.* V) Ex *L. 5.* non *tota* donatio labefactatur, sed pro ea tantum *parte*, quae ad legitimam portionem liberis donatoris constituendam sufficit. Enimvero ex *L. 8.* ob liberos adgnatos *totam* donationem infringi, uerba citatae *L. 8. totum, quidquid largitus fuerat, reuertatur in eiusdem donatoris arbitrio et ditione mansurum;* satis confirmant. Plures differentias, quibus utraque reuocandi causa distinguitur, heic lubens praetereo. Sufficiat enim ostendisse, illos magnopere falli, qui diuersas, et haecenus commemoratas, donationem reuocandi species ab inuicem haut accurate separant.

§. XIV. Quae haecenus, et cum primis in §. *proxime* *Ordo dicendorum in anteced.* de discrimine reuocationis ex *L. 5. C. de inoffic. donat.* et ex *L. 8. C. de reuoc. donat.* dicta sunt, mihi muniue-
dorum in sequentibus capitibus.
 runt uiam, per quam nunc inoffenso pede progredi possum ad plenior memoratae *Legis. 8. C. de reuocat. donat.* enucleationem, et ad decidendam quaestionem: *An praefatae Legis. 8. sanctio, de libertis locuta, iure et saluis bonae interpretationis regulis, porrigi etiam possit ad donationes in alium, quam libertum, factas?* In hac quaestione, tanquam *argumento huius dissertationis* praecipuo, uentilando et disceptando talem ordinem seruabo, ut in Capite proxime sequenti ordiar, primo, a *generali* citatae *Legis. 8. explanatione;* deinceps, praemissis *Legis nostrae. 8. rationibus,* accuratius inquiram in fundamenta illorum, qui *extensionem* *Legis nostrae* ad donationes, in non liberos factas, defendunt.

dunt. His peractis, *negantem* sententiam, quae extensioni Legis nostrae contradicit, adducam, et sufficientibus rationibus firmabo; ac denique in *Cap. III.* usum huius controversiae ostendam, simulque monstrabo, observantiam, seu *fori usum*, qui in primis nostrae sententiae opponitur, euertendis legibus, non sufficere, et, si uel maxime iura expressa tollendi uim haberet, tamen eundem usum fori nondum legitime esse demonstratum.

CAP. II.

IN QVO INTERPRETATIO LEGIS.
VIII. COD. DE REVOC. DONAT. SISTITVR,
ET QVAESTIO: AN ISTIVS LEGIS SAN-
CTIO AD DONATIONES IN NON LI-
BERTOS FACTAS EXTENDI POS-
SIT? DISCVTITVR.

CONSPECTVS

Legis. si unquam. 8. uera et emen-
data lectio. §. I.

Num ante Constantii imperium pa-
tronis ob liberos, sibi superuenientes,
libertis donationes eripere potuerit?
§. II.

Canditio libertorum in relatione ad
Patronum multo deterior, quam in-
genitorum. §. III.

Saec. IV. multa singularia iura in
odium libertorum, et fauorem patro-
norum introducta. §. IV.

Afferunt hoc alio exemplo illustra-
tur. §. V.

Beneficia et donationes eripi multo
facilius poterant libertis, quam in-
geniis. §. VI.

Inde concluditur, praecipuam ra-

tionem L. 8. quaerendam esse in inae-
qualitate personarum, donantis scil.
patroni, eiusque fauore, ac donatarii,
eiusdemque odio uel diuore conditio-
ne. §. VII.

Expositio uerborum Legis. 8. et in-
tellectus uerborum: libertis patronus
§. VIII.

Legem. 8. capiendam esse de tribus
libertorum generibus. §. IX.

Lex nostra loquitur non solum de
casu, quo patronus omnia bona, sed
etiam, quo partem duntaxat facul-
tatum donauit. §. X. et XI.

Ex citata Lege. 8. integra donatio
reuocatur. Quatis actio patronis de-
tur ad reuocandum? §. XII.

Res donatae, ex L. si unquam. a pa-
tronis

trono reuocatae, manent in donatoris arbitrio. §. XIII.

An causa reuocandi in L. si unquam comprehensa etiam ad donationes, in ingenuos collatas, pertineat? Haec quaestio a nobis negatiue deciditur. §. XIV.

Dissentientium et Affirmantium argumenta adducuntur Desumpta autem sunt a) a paritate rationis, et quod haec etiam donationibus, a non patrono factis, conueniant. §. XV.

β) a coniectura pietatis ex L. 102. de Condit. et Demonstr. L. 30. C. de fideicommiss. L. 6. C. de instit. et substit. §. XVI.

γ) ab aequitate. §. XVII.

δ) a communi opinione. §. XVIII.

ε) ab usu fori. §. XIX.

Nonnulli de decisione quaestionis huius desperant, quorum tamen opinio exploditur. §. XX.

Nostri sententia, qua extenso L. si unquam. ad donationes, in ingenuos factas, reicitur, confirmatur rationibus. Et ostenditur a) rationes cit. Legis. 8. in donatariis ingenuis cessare. §. XXI.

b) Donationes proprias esse irreuocabiles. Ab hac regula in cit. L. 8. tantum excipi donationes a patrono factas. §. XXII.

c) Tertium argumentum desumitur ex cit. Legis inscriptione. §. XXIII.

Variae coniecturae pro nostra sententia adducuntur. §. XXIV.

Ad obiectiones Dissentientium respondetur. Probatur quoque in nostra L. si unquam. minime contineri exemplum iuris, seu rescriptum, sed legem generalem, eamque tamen ad patronos et liberos restrictam. §. XXV.

Continuatio §. antecedentis. §. XXVI.

Rationem L. si unquam. nullatenus

quaerendam esse in pietatis coniectura. Atque hoc §§. XXVIII. XXIX. et XXX. uariis argumentis probatur. §. XXVII.

Responsio ad L. 40. §. fin. de pact. §. XXXI.

Ostenditur, multa inconuenientia fluere ex ratione Dissentientium, a coniectura pietatis desumpta. §. XXXII.

Responsio ad brocardicum: Conuentionem intelligi sub clausula: Rebus sic stantibus. §. XXXIII.

Nostri interpretatio Legis. si unquam. nihil iniqui continet. §. XXXIV.

Neque, reuocatione donationis, in ingenuos factae, negata, iniuria afficiuntur donatoris liberi superuenientes. §. XXXV.

Dubium ex Augustino diluitur. §. XXXVI.

Ex opinione Dissentientium absurda quaedam deriuantur. §. XXXVII.

Ostenditur, quod eadem interpretatio Legis. si unquam. quam nos atrulimus, uera fuerit credita Saeculo. V. §. XXXVIII.

Dubia contra Augustini locum resoluuntur. §. XXXIX.

Sic etiam Saec. VI. Lex. si unquam. ad donationes, in liberos collatas, fuit restricta. §. XL.

Eandem sententiam Saec. IX. et XIV. uiguisse apud Graecos. §. XLI.

Item Saec. XII. apud Iuris Rom. Consultos in Italia. §. XLII.

Nostri interpretatio confirmatur in Iure Canonico. §. XLIII.

In Iure German. nihil deprehenditur, quod nostrae sententiae obstarret. §. XLIV.

Longobardi tamen Saec. VII. ob superuenientiam liberorum donationes, etiam in ingenuos collatas, ius reuocandi confirmarunt. Hoc tamen iure nos non obligamur, §. XLV.

§. I.

§. I.

Legis. si unquam. uera et emendata lectio.

Istius constitutionis, de cuius genuina interpretatione heic solliciti sumus in *L. Si unquam. §. C. de Reuoc. donat.* uerba sunt sequentia:

CONSTANTINVS ET CONSTANTIVS

AA. AD ORPHITVM P. P.

Si unquam libertis patronus, filios non habens, bona omnia uel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, et postea susceperit liberos: totum, quicquid largitus fuerat, reuertatur in eiusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum. *Dat. V. Cal. April. ARBITIONE ET LOLLIANO COSS. 355.*

Existat eadem haec constitutio in *Leg. 3. Cod. Theodos. tit. de reuocand. donat. XIII. Lib. VIII.* In huius legis inscriptione, quae in Codice *Iustinian.* habetur, uaria menda obseruantur, quae hoc loco paucis attingere lubet. Atque ita sine dubio describentium incuria factum est, quod ibidem *Constantinus* et *Constantius* AA. nominentur, et *binis* hisce Augustis lex nostra adscribatur; cum tamen eadem constitutio *solum* CONSTANTIVM Aug. auctorem habeat. Promulgata enim est *Arbitione* et *Lolliano Coss.* Hi autem consulatui praesuerunt A. C. 355. (eodem anno, quo *Athanasius*, ille Ecclesiae Alexandrinae Episcopus, tertia uice depositus, in exilium mittebatur. *uid. CAVE in Histor. Liter. Scriptor. Eccles. in uita Athanasi p. 142. edit. Londin.*) id quod luculenter patet non solum ex scriptoribus *Histor. Eccles. SEVER. SVLPITIO. Lib. II. SOCRATE. Lib. II. cap. 29. et SOZOMENO. Lib. IV. cap. 8.* uerum etiam ex *L. 2. C. Theod. de incest. nupt. L. 2. C. de his, qui per met. iudic. non appell. L. 2. C. Theod. de iurisdic. itemque ex L. 21. L. 22. Cod. Iust. de appellat.*

appellat. L. 8. C. ubi caus. fiscal. L. 6. C. qui testam. fac. poss. L. 1. C. de curios. et stationar. Euieto igitur hoc, quod Lex nostra. 8. lata sit A. C. 355. satis perspicuum est, eandem erronee etiam *Constantino*, Constantii fratri, tribui. Siquidem tum temporis *Constantius* Aug. Constantini M. Imper. filius solus imperabat, et alter Constantii frater, *Constantinus* iam A. C. 340. ac alter frater, *Constans* iam A. C. 350. occisi erant. SOCRATES. *Lib. II. cap. 17.* SOZOMENVS *Lib. IV. cap. 6. fin.* EVTROP. *Histor. Rom. Lib. X. c. 5.* Praeterea in eadem legis nostrae inscriptione aliud erratum nobis obseruandum est. In Codice enim *Iustiniano* Orfitus, seu Orphitus, ad quem Constitutio haec directa est, perperam uocatur P. P. seu Praefectus Praetorio; Nam Orfitus ille, uel (uti integrum eius nomen est) *Memmius Vitrasius Orfitus* nunquam fuit Praefectus Praetorio, sed tantum Praefectus Vrbi. Hoc munere Orfitus per sexennium functus est. Id quod non solum colligi potest ex AMMIANO MARCELLINO *Lib. XIV. Lib. XVI. et Lib. XVII. itemque ex SYMMACHO, Orfiti genero, Lib. I. Ep. 1. Lib. IX. Ep. 121. Lib. X. Ep. 47.* sed idem etiam comprobatur ex uariarum legum ad Orfitum directarum inscriptionibus. Nam Orfito, tanquam Praefecto Vrbi, inscriptae sunt α) A. C. 353. L. 8. C. Th. de Praetor. L. 1. C. Th. de rapt. uel marit. sanctimonial. β) A. 355. L. 7. C. Th. de donat. L. 2. C. Th. de pistor. γ) A. 356. L. 3. C. Th. de sepulchr. uiol. δ) A. 358. L. 4. C. Th. de reuoc. donat. ε) A. 359. L. 1. C. Th. de calc. coct. Sic etiam Orfitus in Inscriptione L. 3. C. Th. de Reuoc. donat. (quae eadem est cum Lege nostra. 8.) neque minus in L. 1. Cod. Iustin. de quadrienni praescript. Praefectus VRBI nuncupatur. Haec de uera nostrae legis lectione praemittenda duxi, quia idem quoque nobis inferius argumentum aliquod pro nostra sententia suppeditabunt.

E

§. II.

Num ante
Constantii
Imperium
patronus ob
superueni-
entiam li-
berorum
donationem
reuocare
potuerit.

§. II. Antea uero, quam enucleationem *Legis nostrae* Octauae aggredior, non abs re futurum esse existimo, si heic uentilauero quaestionem: *Annon etiam temporibus, promulgationem huius legis, a Constantio factam, antecedentibus, donationes in liberos a patronis collatae ex causa liberorum, post donationem patrono adgnatorum, reuocari potuerint?* Hanc quaestionem utique negatiue decidendam esse arbitror, ita tamen, ut bina tempora, scil. ea, quae *Dioclet. et Max. imperium praecedunt*, et quae illud *sequuntur*, probe distinguenda esse censeam. Ante aetatem *Diocletiani et Maxim. Imp.* donationes licet *omnium* bonorum, ex sola causa superuenientiae liberorum reuocare sine dubio non licebat, neque istis temporibus quidquam, uti opinor, intererat, utrum donationes in *libertum*, an in quemuis alium essent collatae. Utebantur enim liberti cum ingenitiis iisdem iuribus, quoties nempe illorum intuitu speciatim ius diuersum haut erat introductum. Hoc quidem exploratum est, etiam *ante Diocletiani et Maxim. imperium* liberos obligatos fuisse, patronis suis, eorundemque liberis, egentibus, *alimenta* ministrare *L. 5. §. 18. sqq. de agnosc. lib. L. 1. §. 2. de Offic. praefect. urb. L. 73. de A. H. L. 41. de oper. libert. L. 1. C. eod.* adeo, ut *his* dolose negatis, liberti propterea in seruitutem reuocari potuerint *L. 6. §. 1. eod. tit.* Ast quod iisdem liberti de donationibus, a patrono acceptis, praeter *alimenta* modo memorata, aliquid patrono donatori, cui post celebratam donationem liberi adgnati sunt, ex hac unica adgnationis causa reddere debuerint, huius rei in iure nostro nullum uestigium inuenio. Postea uero, quam a *DIOCLETIANO et MAXIM. Imp.* in *L. 5. C. de inoffic. donat.* (de qua nos *supr. Cap. I. §. XII. et XIII.* egimus) hoc iuris noui introductum est, ut donatarius *omnium* bonorum donatori, post celebratam donatio-

tionem liberis aucto, egenti, de *toto* patrimonio donato *quartam* partem, seu tantundem, quantum ad portionem legitimam liberis, donatori adgnatis, sufficeret, restituere teneretur; idem etiam ad *libertos* donatarios, utpote quorum intuitu ius singulare heic statutum non erat, sine dubio pertinuit, ita, ut et hi eodem casu, quo nim. *omnia* patroni bona donationis titulo acceperant, iisdem concurrentibus circumstantiis, obligati essent ad *quartae* partis restitutionem. Ast ubi *non omnia* patroni bona, sed tantum illorum *pars* quaedam, obtigerant liberto, hic *ante* legem nostram, a *Constantio* promulgatam, cogi non poterat, ut, patrono donatori liberis aucto, *quidquam* restitueret; tantum abest, ut *integra* donatio ob causam superuenientiae liberorum istis temporibus, uel *liberto*, eripi et reuocari potuerit. Ergo demum *Constantius* lege sua libertis necessitatem imposuit, ut patrono donatori, a quo uel *integrum* eius patrimonium, uel *partem* tantummodo largitionibus acceperunt, in casu superuenientiae liberorum res donatas in *totum* restituerent.

§. III. Mirari quidem posses, ob quasnam tandem *Conditio li-*
 causas factum sit, ut *liberti* conditionis longe *deterioris*, *bertorum*
 quam donatarii ingenui, habiti, et a *Constantio* Imper. *deterior.*
 iussi fuerint, etiam *partem* bonorum a patrono sibi donatam, et quidem *totam*, restituere in casu, quo patronus post donationem liberos sustulit; cum tamen praeter patronos *alii* donatores *ex L. 5. C. de inoff. donation.* propter liberos, postea sibi adgnatos, donationes *totas* nunquam euertere possint, sed saltem pro *quarta* parte reuocare ualeant, et quidem non in quolibet, uerum *eo* duntaxat casu, quo donator *omnia* bona donationibus absumsit, ac propterea ob deficientes facultates liberis *alendis* non sufficit. Sed desines mirari, si cogites, liberos ad *remunerandum*



dum grande et inaeſtimabile libertatis beneficium (uti uo-
catur in L. 1. pr. de bon. libert. L. 106. L. 176. ſin. de Reg. Iur.
et apud Terentium in Andria Aët. I. ſc. 1.) idemque a patro-
no acceptum, plurima in patroni fauorem aequo animo
ferre debuiſſe, quibus ingenui minime obſtringebantur,
neque obſtringi poterant, id quod exemplis aliquot heic
illuſtrabo. Sicut I) illi, qui a domino heredes inſtituti, et
tali modo e ſeruitute in libertatem uindicti erant, pa-
trono ſuo exiſtebant heredes neceſſarii, neque ideo here-
ditatem, licet maxime damnofam, et ad aes alienum pa-
troni diſſoluendum minime ſufficientem, repudiare pote-
rant §. 1. Inſt. quib. ex cauſ. manumiſſ. §. 1. Inſt. de hered. qual.
et differ. cum tamen aliis heredibus libera eſſet, heredita-
tem adeundi, uel ſe eidem immiſcendi et repudiandi,
uel abſtinendi poteſtas. tot. tit. de acquir. uel. amitt. hered.
§. 2. in ſin. Inſt. de hered. qual. et differ. II) Liberti patrono,
eiuſdemque liberis, egentibus, alimenta de ſuo ſuppedita-
re tenebantur, quemadmodum ſupr. §. praeced. dixi. III.)
Liberti patrono, eiuſque parentibus L. 2. C. de in ius uoc.
uxori pariter, ac liberis (licet hereditate paterna ſe abſti-
nuerint L. 9. pr. de iure patron.) et extraneis heredibus
L. 5. de obſequ. par. L. 2. C. de in ius uoc. exhibere debebant
ſingularem honorem et reuerentiam L. 9. de obſequ. L. 2. C.
de in ius uoc. eandemque ob cauſam tales perſonas, ſine ue-
nia, in ius uocare non poterant L. 4. §. 1. L. 10. §. 5. L. 12.
de in ius uoc. L. 2. C. eod. adeo, ut, ſi forte unam ex hiſ
perſonis, permiſſu praetoris neglecto, in ius uocauerant, 50.
aureis i. e. 160. thaler. mulctarentur L. 12. de in ius uoc. IV)
Libertis contra patronum et perſonas modo enumeratas
non dabatur famoſum iudicium, neque actiones, doli uel
fraudis mentionem habentes L. 5. 6. 7. de obſequ. patr.
praef. L. 1. L. 4. C. eod. licet patronus tantum quali tutor,
defen-

defensor, uel actor interuenerit *L. 10. §. 13. de in ius uoc.*
 V) Debebant patronis *obsequium L. 5. C. de negot. gest. L. 8. C. de obsequ. et operas tot. tit. de oper. libert.* VI) Libertis non licebat patronum accusare *L. fin. C. qui accusare non poss.* neque illi, licet per intermediam personam, controuersiam status mouere: et si forte hoc fecerant, in seruitutem reuocabantur *L. 5. pr. de iur. patron.* Illicitum etiam VII) libertis erat, contra patronum testimonium dicere *L. 12. C. de testib.* aut patronum, in adulterio uxoris liberti deprehensum, occidere *L. 38. §. 9. ad L. Iul. de adulter.* cum tamen alias cuilibet marito permillum sit, hominem, in adulterio cum uxore deprehensum, interficere *L. 24. pr. eod. VIII)* Libertus tutor, uel curator liberorum patroni, pupillos mala tutelae administratione laedens, multo grauius puniebatur, quam tutor alius *L. 10. C. de administr. tut.* IX) Non poterant liberti patronum ob debita ad saccum usque et peram excutere, sed dabatur patrono beneficium *competentiae*, ui cuius non tenebatur, nisi in id, quod facere poterat *L. 7. §. 1. de obsequ. parent. et patron.* X) Vbi patronus libertis suis legatum ea lege reliquerat, ne liberti legatarii a monumento defuncti recederent, uel ut in ciuitate quadam perpetuo domicilium haberent, legatum hoc peti non poterat, nisi liberti legatarii conditionem impleuerint, uel cautionem de eadem adimplenda praestiterint *L. 71. §. 2. de condit. et demonstrat.* Ast longe melioris conditionis erant alii non liberti. Si enim hi sub tali modo legatis erant honorati, legatum debebatur, licet modo isto non impleto, utpote qui ingenuorum libertatem nimis restringere uisus, tanquam impossibilis detrahebatur, et pro non adiecto reputabatur *cit. L. 71. §. 2.* Sic XI) in fauorem patroni id etiam iuris cum liberti incommodo coniunctum uigebar,

ut libertus, siue ab intestato, siue facto testamento, decedens, ordinarie patrono suo, eiusdemque liberis, uel omnia bona, uel certam partem relinquere teneretur; adeo, ut idem, quod de liberis, suis heredibus, dicitur in §. 1. *Inst. de hered. qual. et differ. quod nim. uiuo patre quodammodo domini bonorum paternorum existimentur*, etiam affirmari potuerit de patronis: hi enim eadem ratione bonorum, quae liberti adhuc uiui possidebant, quodammodo erant domini, et certissimam succedendi spem habebant. Vnde liberti opulenti ueluti pars quaedam erant bonorum, et iure is poterat locupletior uideri, qui libertos locupletiores habebat. *tot. tit. Inst. de success. libert. Add. DN. HEINECCIUS in Aniquit. ad Inst. cit. tit.*

Saec. IV.
multa singularia in
fauorem
patrono-
rum, et li-
bertorum
odium in-
troducita.

§. IV. Quemadmodum uero, ueluti *ex §. proxime anteced.* apparet, liberti patrono suo ob inaeestimabile libertatis beneficium arctissimo uinculo obstricti erant, eandemque ob causam uariis iuribus singularibus, cum suo quidem incommodo coniunctis, sed in patroni tamen gratiam introductis, utebantur; Ita praeterea adhuc multis rationibus motus esse uidetur *Constantius Imper.* (quippe qui et ipse ceteroquin in *adimendis iis*, quae donauerat, *facilis* fuisse scribitur a MARCELLINO *Lib. XXI. fin.*) ut etiam in capite de reuocatione donationum iura libertorum, largitionibus a patrono auctorum, et aliorum donatariorum distingueret. Nam imprimis circa temporalae nostrae *L. si unquam. §. magna* erat petulantia et improbitas libertorum, ita, ut hi non modo debitum honorem et obsequium patronis suis saepe negarent, ac difficulter in officio continerentur; uerum etiam uariis artibus, quas *supra Cap. I. §. V.* tetigi, patronos facultatibus emungerent, et aliis modis eorundem familiae iniuriam inferrent. Huic malo ut obuiam iretur, insimulque impedi-
retur,

retur, ne patroni orbi improvide ad bona, donationibus profundenda, a libertis suis allecti, se suamque familiam spoliarent, neque ipsi liberti ex fraudibus suis, quae ut plurimum heic interueniebant, commodum sentirent, *Constantius Imper. in L. nostra. 8.* libertis necessitatem imposuit, patrono, cui post donationem liberi obuenerunt, totum illud reddendi quicquid ab eodem, dum adhuc orbus esset, donationis titulo acceperant. Rationibus hisce sine dubio etiam alia accessit obligatio nim. ad *remunerandum*, quae in liberto erga patronum suum profecto multiplex erat. Et licet ceteroquin obligatio ad *antidota* tantum sit naturalis imperfecta, quae nullum ius ab inuito exigendi tribuit; nemo tamen dubitabit, quin idem ius imperfectum lege ciuili in obligationem perfectam possit transmutari. Ceterum ea, quae de improbitate ac insolentia libertorum *Saec. IV.* (quod propterea libertis ualde inimicum erat) modo diximus, haut obscure confirmantur ex multis constitutionibus, circa tempora ista promulgatis, quibus licentiae libertorum seuerè occursum, ac patronorum iuribus et priuilegiis subuentum fuit. Nam hoc I) egregie comprobatur *CONSTANTINI. M. Imper. constitutio, A. C. 319.* in publicum emissà, in *L. 2. C. de libert. et lib. eor.* ubi hoc modo sancitum legitur: *Si manumissus ingratus circa patronum suum exstiterit, et quadam iactantia uel contumacia ceruicem aduersus eum erexit, aut LEVIS OFFENSÆ contraxerit culpam, a patrono rursus sub imperium ditionemque mutatur, filius etiam, qui postea nati fuerint, seruiuris.* Ex his obseruamus summam libertorum improbitatem, quae tum temporis uix aliter cohiberi poterat, pariter Imperatori extorsisse seuerissimam istam constitutionem, in qua patronis permittitur, libertos suos, ob illorum ingratitudinem, uel iactantiam, uel contumaci-

am,

am, immo uel ob *leuem* offensae culpam, libertate exue-
re, et in seruitutem durissimam reuocare. Libertes non
indulgentiores erant HONORIVS et THEODOSIVS *Impp.*
Hi enim Augusti in *L. 3. et 4. C. de libert. et lib. eor.* liber-
tos, licet in militia constitutos, ob ingratitudinem, non
modo in *ipsum* patronum, uerum etiam in eius *liberos* et
heredes extraneos commissam, in seruitutem reducere per-
miserunt. Equidem *εὐαδελώσις* illa ob *ingratitudinem* du-
dum ante *Constantini M.* imperium, et libera adhuc Republ.
apud Romanos (utpote qui morem hunc libertos ob in-
gratitudinis notam in seruitutem retrahendi a Graecis ac-
ceperant VALER. MAXIM. *Lib. II. cap. VI. §. 6.*) usitata,
et a *Claudio* Imperatore denuo confirmata fuit, SVETO-
NIVS in *Vita Claudii cap. XXV. L. 5. pr. de iure patron.* Sed
idem tamen ius patronis secuto tempore, et quidem quod
plurimum uerosimilitudinis habet, ab eodem *Claudio* ite-
rum ademptum, et demum a *Constantino M.* in *cit. L. 2. C. de*
libert. et lib. eor. quasi postliminio, et quidem non solum
ob *grauem* ingratitudinis causam, uerum etiam ob *leuem*
offensae culpam, reductum est. Add. IAC. GOTHOFRED.
ad Cod. Theodos. tit. de libert. et eor. lib. Tom. I. p. 375. sqq.

Quod alio
exemplo
illustratur.

§. V. Afferti nostri, quo multa in libertorum odium,
et ad illorum iura *restringenda* Saeculo. IV. introducta esse
adstruxi II.) argumentum de promo *ex L. 27. Cod. de inof-*
ficios. testam. ubi CONSTANTINVS. M. A. C. 332. fratres
uterinos ab inofficiosi querela contra testamentum fratris,
non relictis liberis, aut parentibus, mortui, penitus exclu-
sit; *Consanguineis* autem fratribus, a fratre defuncto praeter-
ritis, uel inique exheredatis, contra huius testamentum
tum demum querelam inofficiosi testamenti indulgit, si
heredes in testamento illo fraterno scripti *infamia*, uel
turpitudine, uel *leuis notae macula* laborarent. Tales enim
per-



personas prudentissimus Legislator censuit indignas, quae
 fratres consanguineos a defuncti hereditate excluderent.
 Cum personis istis infamibus et turpibus *aequali iure Con-*
stantinus M. in cit. Leg. LIBERTOS reputat, et fratribus
 consanguineis in eo etiam casu querelam inofficiosi testa-
 menti contra defuncti fratris tabulas tribuit, si in his non
 quidem personae turpes, aut infames, sed *tantum LIBERTI*
 heredes scripti fuerint. Atque ita Imper. iniquum esse
 iudicavit, quod *liberti* (qui ceteroquin a defuncto e ser-
 vitude in libertatem traducti, et hac ratione inaeestimabili
 beneficio mactati essent, eamque ob causam non patrono
 solum, sed etiam aliquo modo familiae eius ueneratio-
 nem deberent) defuncti fratribus *praeferrantur*, et pote-
 statem habent fratres ab hereditate excludendi. Equi-
 dem ex praefata *Constantini M.* constitutione, qualis exstat
 in *cit. L. 27. C. de inoff. testam.* ex uerbis nimirum: *uel LI-*
BERTI, qui perperam, et NON BENE MERENTES instituti
sunt; nihil amplius colligi posse uidetur, quam quod glo-
 riosissimus ille Imper. defuncti fratres praetulerit non *omni-*
bus libertis, sed illis tantummodo, qui in patronum *in-*
grati extiterunt, atque hac ratione maculam quandam
 sibi aspererunt. Sed sciendum est, in *dict. L. 27. Cod. In-*
stin. manifestissimum *Triboniani* emblemata delitescere. Nam
 in *L. 3. Cod. Theod. de inoff. testam.* (utpote ubi memorata
Constantini M. constitutio intemerata exhibetur) inter li-
 bertos *gratos* et *ingratos* neutiquam distinguitur, uerum
 indiscriminatim dicitur, quod fratres contra defuncti fra-
 tris testamentum, in quo *liberti* instituti sunt, querelam
 inofficiosi testamenti habere debeant. Ita enim textus il-
 le in *cit. L. 3. Cod. Th.* habet: *Ita in hac quoque parte, si quan-*
do LIBERTIS heredibus institutis fratres fuerint alieni (i. e.
praeteriti, exheredati) inofficiosi actione proposita praenale-
F ant

ant in omnibus occupandis facultatibus defuncti, quas ille perperam ad liberos uoluerat pertinere. *ADD. IAC. GOTHOFRED. ad cit. L. 3. C. de inoffic. testam. Tom. 1. p. 176. sqq.*

Beneficia et donationes longe facilius eripi poterant libertis, quam ingenuis.

*J. VI. Possemus quidem heic multa alia exempla in medium proferre, quae gravem libertorum conditionem, et quod multo facilius libertis, quam aliis, beneficia eripi potuerint, haud obscure declararent; Sed necessarium non esse putamus, illis diu immorari, quandoquidem in ipsa doctrina de reuocandis donationibus praeter speciem Legis nostrae. §. alia constitutio deprehenditur, quae ad strictiorem libertorum conditionem satis indicat, et solis libertis donatariis propria, ad alios donatarios nulla ratione trahi potest. Intellego Legem. 1. Cod. de Reuoc. donat. ubi AEMILIANO et AQVILINO COSS. i. e. A. C. 249. (non uti uulgati Codices habent, A. C. 250. nam ante huius anni auspiciam Philippus, Pater, Imper. et Philippus, Filius, Caesar, iam trucidati erant) PHILIPPVS Imper. Cosmimo sequentem in modum rescripsit: *Etsi perfectis donationibus in possessionem inductus LIBERTVS (ea enim aetate ad donationis perfectionem adhuc requirebatur traditio, uel mancipatio. uid. supr. C. I. §. IX. sect. 2.) quamoliber tempore ea, quae sibi donata sunt, pleno iure, ut dominus possederit, tamen si INGRATVS sit, omnis donatio, mutata PATRONORVM uoluntate, reuocanda est. Quod obseruabitur et circa ea, quae libertorum nomine, pecunia tamen patronorum et beneficio comparata sunt. Nam qui obsequiis suis liberalitatem patronorum prouocauerunt, non sunt digni, quae eam retineant, cum coeperint OBSEQUIA NEGLIGERE: cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium eos inclinare deberet, quam ad INSOLENTIAM erigere. In hac lege singulare in odium libertorum, et patroni fauorem, introductum occurrit; nim. 1.) quod a Philippo patronis**

tronis concessum fuerit, liberto donationes, in illum collatas, iterum eripiendi, si is beneficium libertatis et largitiones, a patrono acceptas, *ingratitude*, licet *satis leui*, neglectu uidelicet *obsequii*, seu *reuerentiae* et *honoris*, pensare praesumferit. (Ita enim IVSTINIANVS in *Nov. 78. cap. 2. τὸ καλεσμενον obsequium per πάντων αἰδῶ, καὶ τιμῆν, omnem reuerentiam et honorem* explicat) Ex hoc, inquam, iterum manifesto apparet, libertos etiam intuitu *reuocationis* donationum iam ante imperium *Constantii* longe deterioris conditionis fuisse, quam donatarios alios. Siquidem non modo aetate *Philippi* Imper. tanquam huius scripti Autoris, ceteris donatariis donationes eripi non poterant, licet contra illos *grauissimae* ingratitude causae militauerint (nam secutis tantum temporibus retractatio donationum ob ingratitude permissa fuit *arg. tot. tit. C. de reuoc. donat.*) sed etiam postea, quam *ingratitude* donatarii ad infringendas donationes sufficere uisa est, donationes, in non liberos factae, hautquaquam ob leues, sed tantummodo ob grauissimas, easque in *L. fin. C. eod.* comprehensas, *causas* reuocari poterant.

§. VII. Itaque ex omnibus his, quae haecenus ex historia iuris de conditione *libertorum* circa *Saec. IV.* differuimus, maxime perspicuum redditur, rationem *Legis uoluntatis* *frae. 3.* neutiquam (uti tamen illi, quos infra refutabimus, opinantur) in praesumptione caritatis, et tacita, eaque resolutiua *conditione*, quam donationibus, ab orbo factis, uulgo inesse credunt, consistere; Sed praecipuam huius constitutionis rationem quaerendam esse in *relatione*, ac inaequalitate personarum, scil. tam donantis patroni, et summo ipsius, eiusdemque liberorum (quippe ad quos etiam ius patronatus transibat) fauore, quam donatarii liberti, eiusdemque circa relationem ad patronum, ac eius liberos

Inde concluditur, praecipuam rationem L. 8. quaerendam in inaequalitate personarum, donantis et donatarii.

durioſe conditione, quam liberti improbitate ac inſolentia ſua ſibi attraxerant, neque minus in *indole* beneficiorum, libertis conſeſſorum, quae multo facilius, ueluti aliquoties iam dixi, reuocari poterant. Ceterum diffiteri quidem non poſſum, in uariis capitibus iuris libertos *paria* iura habere cum ingenuis, ueluti in ſpecie *Legis. 17. C. de legat.* ubi dicitur: *Datum legatum adimi tam pure, quam ſub conditione non LIBERTIS, ſed etiam INGENUIS placuit.* Interim tamen non eſt, cur alii cum *CVIACIO* exiſtiment, etiam in materia reuocandarum donationum iure *aequali* libertos et ingenuos gaudere. Licet enim in uno, uel altero liberti cum ingenuis comparentur, non tamen inde ſequitur, eosdem et in praefenti materia comparari, praefertim cum ex iis, quae in antecedentibus paulo plenius dicta ſunt, ſole meridiano clarius pateſcat, libertis in adimendis beneficiis, quibus a patrono affecti erant, et retractandis donationibus iura multo imbecilliora habere. Et quod in *cit. L. 17. C. de legat.* liberti ingenuis aequiparentur, ac legata, non minus libertis, quam ingenuis relicta, reuocationi obnoxia eſſe dicuntur, minime hanc rationem habet, quod in beneficiis ac donationibus adimendis liberti conditionis eiusdem ſint cum ingenuis, uerum ratio iſtius legis in eo conſiſtit, quod legata demum morte legantis perficiantur, et propterea ante eius obitum, tanquam donationes impropriae et imperfectae, pro lubitu poſſint retractari.

*Expoſitio
uerborum
Legis. 8.*

§. VIII. Inueſtigatis *Legis noſtrae. 8.* rationibus, methodus, quam ſupra mihi propoſui, expoſcit, ut nunc *ipſam* quoque citatae legis *interpretationem* aggrediar. Heic tamen iis praefertim de cauſis multus eſſe nolo, quod non ſolum ipſa *Legis* uerba fatiſ ſint perſpicua, uerum etiam eadem illa *Lex. 8.* quippe de ſolis libertis, a patrono dona
acci-

accipientibus, locuta, ab usu aevi nostri (quod hisce in ter-
 ris, uti seruis Iuris Rom. ita etiam libertis, seu homini-
 bus, ex tali seruitute manumissis, destituitur) longe remo-
 ra sit, quemadmodum in sequentibus ex instituto demon-
 strabitur. Res uero ipsa indicat, in hac *Lege nostra* ser-
 monem esse de reuocatione donationis, a patrono factae ^{Intellectus} *libertis* ^{uerborum:} *libertis pa-*
 tronus. ^{tronus.} ueritate manumiserat, ibi: *libertis patronus*. Hinc collige-
 re licet, in *Lege nostra*. §. non contineri donationes factas
 in talem hominem, qui olim quidem in seruitute consti-
 tutus fuit, quem tamen non ipse donator, sed alius ma-
 numisit, et hoc modo ius patronatus sibi adquisiuit, ut
 adeo ex *Lege* hac ob superuenientiam liberorum reuoca-
 re licuerit, non generatim omnes donationes in homines
libertini generis collatas, sed illas tantummodo, quibus ipse
patronus liberos suos affecit. Liberti enim in relatione
 ad alios, praeterquam patronos, spectati parum ab inge-
 nuis differebant, sed in relatione ad patronum suum
 propter beneficia, ab illo accepta, multo deterioris condi-
 tionis erant, quam ingenui, licet ceteroquin cognatione
 coniuncti. Etsi *Constantius* Imper. intellectam uoluisset
Legem nostram. §. etiam de donis, a quopiam in *alterius* li-
 bertum collatis, certe non usus fuisset uocabulo: *libertis*,
 sed potius *libertinis*. *Libertus* enim et *libertinus* (quicquid
 demum fuerit de antiquis populi Rom. temporibus, aeta-
 te nim. Appii Caeci Censoris, ubi appellatio: *libertini*
 non de ipsis manumissis, sed tantummodo de *liberis* ipso-
 rum accipiebatur, teste SVETONIO in *uita Claudii*. cap.
 XXIV. iam Ciceronis aeuo et secutis temporibus pro *syno-*
nimis quidem habebantur, et pro ipsis manumissis usur-
 pabantur; sed inter utrumque tamen uocabulum haec ob-
 seruabatur *differentia*, ut *manumissi* in relatione ad patro-
 nos

nos *LIBERTI*; ratione autem status, quo ingenuis opponuntur, *LIBERTINI* dicerentur; uel, quod eodem redit, ut libertus et patronus *relata*, libertinus autem et ingenuus *contraria* essent. CICERO in *Orat. in Catilin. IV. et Lib. VII. Epistol. ad Attic. 4.* HORAT. *Lib. I. Od. 33. uers. 15. L. 2. pr. D. de oper. libert. pr. et §. 3. Inst. de libertin. L. 1. L. 6. si ingen. esse dic. confer. WILHELM A LOON in Comment. de Manumissione Seruorum apud Rom. Lib. IV. cap. 2.*

Lex. 8. capienda de tribus libertorum generibus.

§. IX. Deinceps sub generali appellatione *libertorum* in hac *L.* sine dubio intelliguntur *tria* illa libertorum genera, nim. non modo ciues Romani, sed etiam Latini et *Dedititii*. Haec enim libertorum distinctio aetate *Constantii* adhuc obtinebat, atque Imperatorem in nostra *L. 8.* etiam de *Libertis Latinis Iunianis et Dedititiis* sensisse, ac donationum, in illos factarum, reuocationem ex capite agnationis liberorum permisisse, hautquaquam dubium esse potest, si Latinorum Iunianorum duriores et *Dedititorum* durissimam conditionem cogites *uid. tot. iir. Inst. de libertinis.* Praeterea etiam uerba nostrae *L. 8. filios non habens postea susceperit liberos*: aperte indicant, patrono ius illud donationes, in libertos factas, ob liberos, sibi adgnatos, ex hac *L.* retractandi non competere, nisi idem ille donator, tempore, quo celebrata donatio, *orbis*, seu liberis destitutus fuerit, et demum *postea* liberos susceperit. Atque ita hac *Lege sua Constantius* non omnibus patronis donantibus, sed illis tantummodo prospectum uoluit, quibus tempore celebratae donationis *nulli* essent liberi: quandoquidem homines orbi, uti plurimas hereditatum captationes, ita etiam frequentissimas ad largiendum sollicitationes experiuntur, (*uid. Periplectomenes apud PLAVT. in Milite Glorios. Act. III. sc. 1. HORAT. Lib. II. Satyr. 5.*) ac propterea tales patroni tanto magis contra liber-

bertos, qui artibus suis nihil non a patronis impetrare didicerant, *Constantio* defendendi, et securi praestandi uidebantur.

§. X. Porro *Constantius* Imper. in *L. 8. donationis*, in *L. 8. loquitur de casibus, quo non* libertum factae, reuocationem; ex causa liberorum, postea agnatorum, permittit, si patronus in istum *omnia bona sua* donando transfudit uerb: *bona omnia*. Tales enim *omnia bona-* omni-um bonorum donationes iure Rom, praesertim recentiori, approbari aperte docent, cum *Lex nostra* in uerbis modo adductis, tum etiam *L. 5. C. de inoff. donat.* in uerbis: *totas facultates tuas. et L. 35. §. 4. C. de donat.* uerb: *uniuersitatis donationem. add. Illustr. Dn. LVDEWIG. in dissert. de differenti. Iur. Rom. et Germ. in donat. cap. III. differenti. 6. pag. III. sqq.* unde miror, fuisse Doctores, qui uel ex iure Rom. talismodi donationes, ea praesertim de causa, improbarent, quod donator, omnia bona sua largiendo, facultatem testandi sibi adimeret, id quod tamen uetaretur in *L. 15. C. de pact. L. 43. pr. de uulgar. et pupill. substi.* cum tamen *LES* modo adductae supponant casum, ubi adsunt bona, de quibus testamentum fieri potest.

§. XI. E uerbis Legis nostrae: *uel partem aliquam facultatum fueris donatione largitus*; perspicuum redditur, *quo pars tantum donata.* *Constantium* patrono ob liberos, eidem post donationis celebrationem agnatos, *tum quoque* potestatem reuocandi concedere, si libertum tantummodo *aliqua* bonorum parte antea donauit, utpote in quo (ceu supra *Cap. I. §. XIII.* ostendi) liberti iterum conditionis deterioris sunt, quam donatarii alii. Hisce enim, si tantum *partem* aliquam bonorum donatione acceperunt, donatio eripi nequit, licet donator postea liberos susceperit, quod tamen, ueluti dixi, secus se habet in *liberto* donatario. Ceterum de *parte* facultatum donatoris, in *haec L.* memorata, disceptatur: *Virum sub ea in-*
sellig-

intelligatur solummodo pars bonorum *QVOTA*, uiri dicitur; An
 etiam pars facultatum *QVANTA*, seu res quaequam particu-
 lares, uel uiri castrum, domus, fundus, etc. Prius asserunt, et
 non nisi partem *quotam* heic intelligendam esse conten-
 dentes, rem particularem, liberto donatam, ob liberos, pa-
 trono postea agnatos, reuocari posse negant plerique cum
 IAC. GOTHOFREDO in not. ad L. 3. C. Theod. de reuoc.
 donat. quod *partis* appellatio pro parte dimidia, uel alia
 parte per modum *quotae*, ut plurimum, in iure accipiatur,
 ueluti in L. 43. de Vusufruct. L. 25. §. 1. L. 164. de V. S. L. 14.
 si quis omiff. caus. testam. L. 13. C. de hered. instit. et quod
 propterea pars bonorum *quanta* ne digna quidem habita
 fuisse uideatur, cuius reuocatio patrono permitteretur.
 Sed rectius dissentire mihi illi uidentur, qui retractatio-
 nem ex hac L. etiam in donatione rei *particularis*, seu par-
 tis *quantae* locum habuisse defendunt: siquidem ea, quae
 de parte simpliciter posita sancita deprehenduntur, saepe
 etiam in rebus particularibus obtinent arg. L. 6. in fin. C.
 de instit. et subst. etc. et uocula: *aliquam*; in lege nostra com-
 prehensa, etiam rem *particularem* haut obscure indicat
 arg. §. 10. Inst. de fideicommiss. libert. in uerbis: *partemue eius,*
aut rem aliquam. §. 2. Inst. eod. uerb: *uel etiam aliquid.* pr.
 Inst. de societ. uerb: *unius alicuius.* L. 3. C. de sentent. pass.
 uerb: *sed aliquid.* iunct. *si uero partem bonorum.* Cui accedit,
 quod *Constantius* in hac L. differentiam inducere uoluerit
 inter utrumque modum, ob superuenientiam liberorum
 reuocandi donationes *liberto* et *aliis* collatas: et dum par-
 tem quoque bonorum, donatam liberto, eripere permisit,
 certe partem non rebus particularibus, sed potius bonis
 omnibus opposuisse uidetur. Et, si *Constantius* solum in-
 tellexisset partem *quotam*, constitutio eius profecto parum
 habuisset utilitatis, cum donationes per partem *quotam*
 sine

fine omni dubio semper fuerint, et adhuc sint rarissimae; neque ulla ratio deprehendi potest, quamobrem Imper. hoc loco inter partem *quotam*, et res *particulares* discrimen constituere uoluerit. Praeterea quoque illis nullo modo adstipulari possum, qui, licet res etiam particulares ex hac L. reuocari potuisse largiantur, simul tamen contendunt, retractationem ex hac L. supponere donationem *excessiuam*, uel ad minimum talem, quae *dimidiam* facultatum donantis partem contineat. Sed hi, qui ita sentiunt, uerba captare uidentur. Rectius ergo alii reuocationem rei etiam *modicae* ex *Lege nostra* permissam fuisse defendunt. Nec est, cur haec mireris, si modo cogites, Legem nostram in fauorem patronorum, et odium liberatorum introductam fuisse, nec non inaequalitatem personarum, donantis scil. et donatarii, pro fundamento habuisse. Asserere tamen non ausim, exclusum heic fuisse iudicis *arbitrium*: quin potius persuasum habeo, quoties dubium incidit, utrum res donatae reuocatione *dignae* sint, an minus, idem iudicis arbitrio ac determinationi fuisse relictum.

§. XII. Vbi igitur propter liberos, donatori patrono adgnatos, donatio, antea in libertum collata, retractatur, id non fit saltim pro parte, sed restituendum est totum, quidquid largitus fuerat patronus. Quo in capite iterum inter modum reuocandi ex L. 5. C. de inofficis. donat. et ex hac L. 8. C. de Reuoc. donat. manifestissimum discrimen se exerit, quod nos etiam cum aliis differentiis iam supra Cap. I. §. XIII. tetigimus. De Legis nostrae uerbo: *Qualis actio detur ad reuocandum.* reuertatur; concertari uideas inter DD. Alii enim cum communi Glossatorum et sequacium schola inde eruere uolunt, quod simul, atque patronus donator liberos susceperit, res donatae ad istum *ipso iure* redierint, et donator statim

G

statim

statim a momento factae agnationis dominium rerum ita donatarum receperit. Vnde est, cur hi Iuris Interpretes reuocanti actionem realem, seu *rei uindicationem* largiantur. Sed falluntur, et alios quoque fallunt, quotquot ita opinantur; neque haec illorum tradita ex citato uerbo ulla ratione exculpi possunt. Sic enim quoque in *L. 3. C. de pact. inter emtor. et uendit.* uenditori, qui ea lege uendiderat: *Vt, nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se REVERTERETVR;* non obstante uocabulo: *reuerii*, rei uindictio negatur, et solummodo actio *personalis* conceditur. Quam ob rem praefendam esse censeo BACHOVII sententiam, qui *ad Treutl. Volum. II. disp. XIX. §. 7. lit. E. in fin.* patrono reuocanti ex hac lege non nisi actionem personalem, seu conditionem competuisse statuminat.

Res donatae, ex h. L. a patrono reuocatae, manent in eius arbitrio.

§. XIII. Postquam Patronus conditione ex *hac L.* donationes libertis eripuerat, minime obligabatur, ea, quae hoc modo retractauerat, liberis suis *superuenientibus* relinquere. Sed idem ille patronus donator liberam facultatem habebat, de hisce bonis suis pro lubitu *disponendi*, eadem uendendi, permutandi, immo etiam, salua liberis portione legitima, aliis iterum *largiendi*. Docent hoc uerba *Legis nostrae finalia: in eiusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum.* Ex his iterum collige duram libertorum in relatione ad patronos suos, eorundemque liberorum consideratorum, conditionem, qua dum donata restituere tenebantur, multo infirmius ius habebant, quam ille, in quem patronus res donatas, easque reuocatas, denuo donationis titulo transfulerat.

An causa reuocandi, in L. 8. comprehens-

§. XIV. Hisce perpensis, tandem progredimur ad exquisitiorem discussionem quaestionis illius, non quidem heri aut nudius tertius moueri coeptae, sed iam dudum magnis saepe anti-

animorum motibus inter Iuris Romani Interpretes uentilatae: *An uidelicet decantata, eaque uel tyronibus notissima Lex nostra. §. de Reuoc. donat. et modus ob adgnationem liberorum donationes reuocandi in eadem comprehensus, ad alios etiam donatarios, praeter libertos, iure ac saluis bonae interpretationis regulis, possit extendi?* *sa, etiam ad donationes in ingenuos colatas pertinet?* Oportuisset quidem Doctores, praesertim uetustiores illos, quos Italia habuit, animaduertere, *Legem nostram* minime intelligendam esse, nisi de solis *patronis* donantibus, et *libertis* donatariis. Et facillimo etiam negotio istud sentire potuissent, si modo, praeuia diligentiori inquisitione, in nostrae *Legis rationes*, eandem ius singulare, itemque in fauorem *patroni*, ac odium *libertorum* introductum, neque minus *exceptionem* a regula de illicita donationum propriarum reuocatione comprehendere, accuratori iudicio ponderassent, infimulque memores fuissent uulgatissimorum brocardicorum iuris: *Cessante ratione legis, ipsa quoque eius dispositio cessare debet. Quod contra rationem iuris introductum, non est producendum ad consequentias L. 14. L. 15. L. 16. de LL. Quotiescunque lex de certis personis loquitur, quibus aliquod beneficium tributum, uel in quarum odium aliquid introductum, toties eadem lex ad alias personas non pertinet §. 6. Inst. de I. N. G. et C. L. 68. de Reg. Iur. L. 64. §. 9. solut. matrim. c. 15. de Reg. Iur. in 6. Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis;* et alia his similia. Hos, inquam, canones, in recta ratione fundatos, neque minus in iure positiuo repetitos et omnibus obuios, si cogitassent isti Doctores, nunc profecto necesse non haberemus errores illorum admodum supinos, quibus *hanc Legem* interpretando abrepti sunt, dolere. Ast, ubi hi semel aequitatem quandam, eamque tamen maxime cerebrinam de *Lege nostra* conceperant, eiusdemque *Legis* explicationem, neglectis idoneis

neis subsidiis, ad ius Rom. interpretandum necessariis inuaserant, sine dubio inde factum est, ut *primum* Legi isti *Constantianae* alias *rationes*, ab aequitate fucata desumptas, affingerent, *deinceps* idem iuris in donatariis aliis esse contenderent, *tum* absurdas interpretationes suas uerbosiss in commentationibus, immo uastis uoluminibus, defenderent, et *denique* hoc modo turpiter incautos posteros fallerent; utpote qui *deinceps* de genuinis legum argumentis parum solliciti, et sufficere sibi putantes, si modo explicationes suas communi opinione firmare, ac terribili iure Consultorum agmine uallare possent, Maiorum errores ad praesentem usque aetatem propagarunt. At enim uero, cum iam antea multoties indicauim, causam, uel modum donationes ex *L. 8. C. de reuoc. donat.* retractandi non nisi ad *patronorum* largitiones, in *libertos* collatas, pertinere; idcirco instituti mei ratio flagitat, ut eandem nostram sententiam contra aliorum oppugnationes adhuc pluribus, iisque satis firmis praesidiis communi- am. Quam ob rem ita animum meum induxi, ut *primo* loco argumenta dissentientium in scenam producturus sim: *Deinceps* meae sententiae rationes in medium afferam; ac *denique* contra sentientium obiectiones examinabo, et operam dabo, ut illis plenissime satisfiat.

Haec quae-
sio a nobis
negatiue de-
ciatur.

Dissentien-
tium et af-
firmantium
argumenta
adducun-
tur. De-
sumta au-
tem sunt ex
a paritate
rationis, et
quod haec
etiam do-
nationibus,

§. XV. Atqui uero Dissentientes, seu illi, qui causam donationis ob superuenientiam liberorum ex *Lege nostra. 8.* ad *alios* etiam donatarios, *ingenuos* nempe, trahendam esse sibi et aliis persuadent, pro coloranda opinione sua, licet ab omni iure aliena, multis argumentis, undecunque conquisitis, et ut plurimum obtorto collo attractis, utuntur. Longum esset, ea omnia heic percensere. Neque etiam necessarium esse puto, omnia ac singula enumerare, cum praesertim maximam partem adeo ficulnea et straminea

minea sint, ut ne commemorari quidem mereantur. Quare ea tantummodo heic adducam, quae aliquid ponderis habere uidentur: uidelicet 1) quidem concedunt, neque etiam contra manifesta constitutionis uerba diffiteri possunt, *Legem nostram*, si uerba eius expressa spectemus, solummodo loqui de donationibus, a *patrono* in *libertum* factis; Interim tamen iidem contendunt, Legem hanc nihil aliud, quam *rescriptum* seu responsionem Imperatoris, Orfito, de iure ipsum *interroganti*, datam, continere, et libertorum non eam ob causam mentionem fieri, quod *Constantius* rescriptum suum ad donationes patronorum *restrictum* uoluerit, sed quod *casus*, Imperatori propositus, (de cuius decisione *Constantium* ab Orfito consultum esse comminiscuntur) non nisi inter *patronum* ac *libertum* agitatus fuerit. Iam uero, pergunt, rem satis notam esse, rescripta, quibus integer Codex repletus est, ad *Magistratus* consultationem, uel *partium* petitionem emissa, *commune* ius constituere, et propterea accommodanda esse ad personas *alias*, licet ibidem haut commemoratas, si modo et *his* rationes iuris, in rescripto comprehensi, congruerent *L. 1. §. 1. de constit. Princip.* uerb: *quodcumque Imperator per epistolam et subscriptionem statuit, LEGEM esse constat.* §. 6. *Instit. de iur. Nat. Gent. et Ciuil. Conf. B. HORNIVS de Interpretatione Iuridica cap. 3. §. 4.* Scire leges, non esse uerba earum tenere, sed uim ac potestatem *L. 17. de LL. L. 3. §. 9. de adim. legat.* Si uel maxime uerba legis aliquid uelint, tamen magis eius *mentem* considerandam esse *L. 13. §. 2. de excus. tut.* Non oportere quemquam eius ciuile calumniari, neque uerba eius captare, sed, qua mente quid dicatur, animaduertere conuenire *L. pen. ad Exhibend.* Rationes legis esse huius animam. Vbicunque eadem legis ratio, ibi quoque eandem esse debere iuris applicationem *L. 32. pr.*

a non patrono factis, conueniant.

ad L. Aquil. L. 3. §. 2. de iniust. rupt. L. 47. de solut. matrim. pr. Inst. de leg. patron. tutel. Rationes autem Legis nostrae donationibus, non solum in libertos, sed in alios etiam collatis, posse adaptari.

§) a coniectura pietatis ex L. 102. de C. et de fidei commiss. L. 6. C. de instit. et substit.

§. XVI. Bona quidem uerba audio. Sed uideamus, et attento animo auscultemus, quasnam tandem rationes Legi nostrae iidem attribuant. Aiunt illi: Nemini latere, quam tenero affectu et uehementi amore parentēs in liberos suos ferantur. Naturam inprimis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, ingenerare CICERO Lib. I. de Offic. Parentes liberos suos aequae, immo ardentius amare, quam se ipsos ARISTOTELES Lib. VIII. Ethicor. cap. XII. L. 8. §. 3. D. quod met. caus. Ad parentum bona liberos, naturae simul ac parentum uoto, uocari L. 6. §. 1. unde liber. L. 7. pr. de bon. damnator. L. 7. fin. si tab. testam. null. extab. Cum liberis nos uiuos nostra partiri CICERO in Verr. I. Leges ipsas ea, quae sunt patris, dare filio ISAEVS Orat. V. Parentes omnia, quae ipsorum sunt, liberis suis parare L. pen. §. pen. de bon. lib. Iam uero propter talem amorem parentum erga liberos tenerrimum praesumi, et utique uero esse simillimum, donatorem orbem extraneo nequiquam donaturum fuisse, si liberos sibi adgnaturos esse sciuisset, uel saltim de illis suscipiendis cogitasset. Atqui uero, uti quodlibet negotium, ita quoque eiusmodi donationem intelligi sub clausula: *Rebus sic stantibus*. Nec amorem et affectum, a natura hominibus insitum, erga liberos permittere, ut quis malit extraneum, quam propriam sobolem bonorum suorum compotem fieri; Idcirco donationem, ab orbo factam, in se continere tacitam conditionem, ut, si liberi ei postea nati fuerint, donatum ad se reuertatur. Hanc pietatis in liberos coniecturam, et ex illa fluentem

tem tacitam conditionem in plerisque LLibus haud obscure confirmari. Ipsum PAPINIANVM in *L. cum auus. 102. de condit. et demonstrat.* cum eidem proponeretur casus, quo testator a nepote, ex parte herede instituto, petierat, ut post mortem suam hereditatem restitueret patruo suo, et nepos, tanquam heres fiduciarius, postea, relictis tamen liberis, decesserat, respondisse: *Fideicommissi conditionem coniectura pietatis defecisse, quod minus dictum, quam scriptum fuerat, inueniretur id est, testatorem Auum, si sciisset, uel ad minimum cogitasset, quod nepos heres liberos suscepturus, et demum his relictis, decessurus sit, ex coniectura pietatis in nepotem et huius liberos, credi, nunquam id postulaturum fuisse, ut nepos hereditatem patruo restitueret: eandemque ob causam liberis, fideicommissi uniuersali oneratis, conditionem: si sine liberis decesserit; etsi non expressam, tacite tamen adiectam, intelligi, et testatorem quoque uideri, ex affectu erga descendentes suos talem conditionem tacite intellexisse. Hanc pietatis coniecturam, et inde a Papimiano in praefata lege deductam conditionem tacitam, etiam IVSTINIANVM admiratione dignam iudicasse, neque minus in *L. 30. C. de fideicommissi.* approbasse, generaliter constituens, ut descendantibus, a testatore fideicommissi restitutione oneratis, subintelligi debeat tacita conditio: *si sine liberis decesserint*: adducta ratione: *ne uideatur testator alienas successiones propriis antepone.* Idem repeti in *L. 6. uers. Cum autem. C. de instit. et substi.* in uerb: *non esse uerisimile, patrem, si de nepotibus cogitauerit, talem fecisse substitutionem.* Pari modo huc etiam pertinere *L. tale pactum. 40. §. fin. de pact.* Eadem igitur, quae de testatore, fideicommissum relinquire, in *cit. L. 102. de cond. et demonstrat. L. 30. C. de fideicommissi. L. 6. C. de inst. et subst.* nec non in speciali casu *cit.**

L. 40.

L. 40. §. fm. de pact. traduntur, etiam donatoribus adaptari, ac propterea argumento illarum *LLum* recte concludi posse: *non fuisse uerosimiliter donatorem praelaturum extraneos liberis, si de liberis suscipiendis cogitasset.* Atque hanc ipsam pietatis coniecturam (pergunt dissentientes) et inde fluentem conditionem tacitam, *Legis nostrae. 8.* ueram ac genuinam *rationem* constituere. Hac Imperatorem motum esse, ut facultatem donationes ob adgnationem liberorum retractandi denuo confirmauerit. Quamobrem, uti eadem iuris ratio non solis *liberis*, sed *aliis* etiam donatariis, congrueret, ita etiam necessarium esse, ut idem illud ius in *omnibus* donatariis seruetur atque obtineat.

γ) ab aequitate.

§. XVII. Pergunt dissentientes, atque, ut pluribus argumentis communiunt opinionem suam, hanc magnopere ab *aequitate* commendari clamitant. Iam uero cuiuslibet sani sincipitis homini constare, in ambigua legis interpretatione praeferrī debere illam sententiam, quae *aequitati* magis est consentanea *L. 10. §. 1. de reb. dub. L. 8. fm. de pact. etc.* si instas interrogando: *In quonam tandem capite aequa sit illorum opinio?* prompte respondent: interpretationem suam, quae etiam donatariis *ingenuis* ob liberos, donatori postea adgnatos, largitiones eripi permittit, summa aequitate niti ob fauorem *liberorum*; *uid. §. praeced.* Contra durissimum foret et maxime iniuriam, patrem carere teneri re sua, ex qua liberis de necessariis uitae subsidiis prospicere posset atque deberet; Praeterea, si nostra sententia admittenda esset, magnam iniuriam inferri liberis, quod non solum debitis uitae adminiculis exuantur, uerum etiam ob inconsideratam parentis liberalitatem priuentur iis bonis, in quibus alias fuissent successuri. Donatorem eiusque liberos heic certare de damno uitando, donatarium autem solummodo de lucro

lucro captando; ut proinde hic omnino illis inferior esse debeat. Non adeo magno damno affici donatarium, dum donata reddi cogitur donanti, cui liberi superuenerunt. Donatarium enim restituendo non tam patrimonium suum diminuere, quam saltem lucrum non facere. Ipsum S. AVGVSTINVM in can. 43. *Caus. XVII. qu. 4.* pronunciare, aequissimum esse, ac iuris diuini praeceptis maxime consentaneum, ut donum ab orbo accipiens res donatas eidem restituat, postquam donans liberos sustulit; Eundem *Augustinum* propterea factum Aurelii, Episcopi, quod huic aequitati ac placitis diuinis obtemperauerit, mirifice collaudare, animose exclamando: *Quam laudabile factum sancti et uenerandi Episcopi Aurelii Carthaginiensis? quomodo impleuit os omnium, qui sciunt, laudibus DEI? Quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donauit Ecclesiae. Nati sunt ei filii postea, et reddidit Episcopus, nec etiam opinanti illi, quae donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non IVRE POLI.*

§ XVIII. Praeter tot rationes speciosas Dissidententes^{d)} a communi opinione. uno ore nobis obijciunt, suam opinionem esse *communissimam* (liceat nobis eorundem barbaras loquendi formulas heic usurpare) seu ita comparatam, ut a pluribus, iisque grauioribus Iuris Interpretibus laudetur, et calculo illorum comprobetur. Atque uel ex hac sola ratione istis non dubiam reddi posse uictoriam. A communi opinione iudici integrum non esse recedere. Peritis enim in sua arte fidem habendam. Perfectiorem esse ueritatem a multis, quam a paucis prolatam, *arg. L. fin. C. de fideicommiss. firmiter credi iudicium plurium, quam unius. c. 21. uers. illa quippe. X. de offic. et pot. Iud. deleg.* Ac in ipsis Legibus saepissime sententiam plurium praeferrri,
H uclu-

ueluti in *L. 4. de his, qui not. infam. L. 17. de iur. patron. L. 1. de offic. quaestor. L. 10. §. fin. de pact. L. 12. §. 27. de Instrum. legat. L. 8. de adopt. L. 18. de in ius uoc. pr. I. de hered. instit.* Ita sentire ICTOS probatos, die bewährten Rechts-
Lehrer. Eandem hanc opinionem suam, qua *Legem. 8.* etiam ad *alios* donatarios pertinere asseruerint, communem esse, satis clare apparere ex communium opinionum collectionibus, quas ad promouendum bonum publicum in lucem ediderint IULIVS CLARVS, IOH. FICHARDVS, LAVRENTIVS KIRCHHOVIUS, ANTONIVS GABRIEL ROMANVS, SVAREZ GRASSVS VIVIUS, PHILIPPVS PORTIVS, ERASMVS MVSCVLVS, CORRATIVS, HIPPOLYTVS BONACOSSA, BENEDICTVS de CAPRA, AZZO GVIDIVS, BAPTISTA VILLALOBOS. Plures cateruatim citari in integris commentationibus RIPAE, TIRAQUELLI et MOLINAEI ad hanc *Legem nostram. 8.* labore, plus, quam Herculeo, conscriptis. Imo etiam ex recentioribus, ICTOS tantum non omnes, communi opinioni subscribere. Imprimis uero, praeter innumeros alios, consentire CARPZOVIVM et HOPPIVM, et quidem, quod probe scias, non uno in loco.

2) ab usis
 fori.

§. XIX. Postremum Dissidentes nostri, ut nostram interpretationem, qua *Legem. 8. C. de reuoc. donat.* non nisi ad *patronos et libertos* pertinere adstruximus, euerant, in arenam adhuc aliud argumentum producant. Ecquodnam tandem? **V SVM FORI!** Hunc, aiunt, suae opinioni fauere; Hunc sibi esse loco praesidii firmissimi; Hunc sequi iudices debere, si uel maxime nostra interpretatio legibus, et bonis rationibus niteretur; Hunc theoriae iuris (ceu uocant) praeualere; Hunc comprobari ex plusquam sexcentis praecidiciis. Pro sua opinione in tot collegiis, in tot iudiciis, atque tot uicibus pronunciatum fuisse.

fuisse. Lippis ac tonforibus notum esse, quod *consuetudo, obseruantia, usus fori, praxis*, etc. leges omnium optime interpretari censeatur *L. 37. de LL. ipsas Lles imitetur §. 9. Inst. de I. N. G. et C. L. 32. §. 1. L. 38. de LL. immo iura expressa aboleat, et noua introducat, L. 32. §. 1. Eod.* Quam ob rem nobis penitus in ea acquiescendum, atque obseruantiae, tanquam legi, obtemperandum esse.

§. XX. Sed salua adhuc res est, et penitus mihi persuasum habeo, aduersariorum tela ita comparata esse, ut ^{Nonnulli de} ^{decisione} ^{quaestionis} ^{huius de-} ^{sperant,} ^{quorum tze-} ^{men opinio} ^{exploditur.} ^{am.} ^{Neque etiam necessarium esse puto, in tanto ratio-} ^{num ac Doctorum conflictu, iudicium suspendendo} ^{sc-} ^{pticum agere, ac quaestionem a nobis heic uentilatam:} ^{Virum nempe modus donationes ex L. Si unquam. 8. C. de re-} ^{uoc. donat. retractandi ingenuis etiam donatarius iure ada-} ^{ptari queat? ob rationes ex utraque parte militantes,} ^{indecisam relinquere. Fuerunt quidem ex Interpretibus} ^{nonnulli, qui in hac controuersia τὸ ἐπέχειν arripien-} ^{dum esse censuerunt, et animaduertentes, utramque} ^{sententiam argumentis satis ponderosis, ac, uti illis uide-} ^{bantur, aequalibus falciri, eo prolapsi sunt, ut crederent,} ^{uix temeritatis notam effugere illum posse, qui uel alien-} ^{tem, uel negantem, auderet propugnare. Inprimis uero} ^{hanc opinionem suam fecit G. MICHAEL HEBERVS,} ^{Iuris quondam in hac Academia Professor publicus Cele-} ^{berrimus. Hic enim in peculiari dissertatione A. 1700. habita,} ^{quam inscripsit: In ambiguarum Legum interpretatione cri-} ^{terium ueritatis non dari, occasione L. si unquam. 8. C. de re-} ^{uoc. donat. ueluti ipsa rubrica docet, id agere uoluit, ut} ^{ostenderet, fieri non posse, ut haec controuersia, paribus} ^{quippe librata rationibus, a priuato quopiam expedire-} ^{tur,}

tur, ac rite componeretur. Praecipue uero hanc mentem suam, argumentis utriusque sententiae ex GOTHOFREDO, VINNIO et TIRAQUELLO praemissis, in §. 7. clare aperit, et hisce uerbis concludit: *utro autem modo suscepta ac peracta deliberatio fuerit, (i. e. quibusnam rationibus motus fuerit Imperator, ut Legem 8. C. de reuoc. donat. conderet) cum facti quaestio sit, nemo expedit, nisi ipse Legislator, aut ICtus, qui eius legis condendae ipse autor extitit. Quod cum fieri nequeat, VTRAMQUE sententiam AEQVE probabilem esse, ac PARIBVS rationum momenti niti, euidentis est, et nemo, VT RYMPATVR MAXIME, AC IN AETERNVM DIVINANDO SE TORQVEAT, quae mens Imperatoris fuerit, ad liquidum perducet.* Ac, paucis interiectis, dum de CORASIO, nobis consentiente, uerba facit, eiusdemque monitum, Auditoribus darum, recenset, subiicit: *Vanus clamor Corasii, uanaque persuasio hominis, sibi blandientis, ac si acu tetigisset Legislatoris mentem, quam, nisi intus in conclauis, cum haec lex conderetur, latuit, assequi non potuit.* Haec Heberus dicit. loc. Ast enim uero, si rem paulo aequiore mentis lance ponderasset, nullam habuisset causam, cur de genuina decisione desperaret. Inferius enim dicenda satis ostendent, Doctores nodum in scirpo heic quaesuisse, et sibi imponi passos esse a rationibus, minime concludentibus, neque ullo modo huc pertinentibus. Sic etiam infra docebitur, rationes a coniectura pietatis, indeque deducta tacita conditione, (uid. supr. §. XVI. praesentis Capituli) ac fori usi petitas, nobis nequaquam officere.

Nostre sententia, quae extensio L. si unquam. ad donationes, in inge-

§. XXI. Ut uero, rationibus Dissidentium hactenus bona fide commemoratis, ad pleniorum deductionem sententiae nostrae, de *Legis. si unquam. 8.* ad donatarios ingenuos *illicita extensione*, reuertamur, ex iis, quae insuperio-

superioribus, *Legem nostram Constanianam* introductam esse in *fauorem* patroni, ac propterea huius priuilegium continere. Ecquisnam uero ignorat, legem, in qua certis quibusdam personis priuilegium tributum est, ad alias personas, easque haut expressas, non pertinere? PAVLVS, licet ceteroquin ut plurimum obscurus, tamen in *L. 68. de R. I.* satis perspicue: *In omnibus causis, inquit, id obseruatur, ut, ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* add. *L. 64. §. 9. solut. matrim. L. 21. de testam. militar.* Sic etiam ab omni ratione alienum est, ea, quae in *odium* libertorum, et ad horum iura restringenda, improbitatemque refracandam introducta sunt, ad *ingenuos*, utpote in quibus rationes illae cessant, pertrahere, contra *c. 15. de R. Iur. in 6. L. 19. de liber. et posthum.*

*Donationes
proprias
esse irreu-
cabiles.*

*Ab hac re-
gula in cit.
L. 8. ran-
tum excipi
donationes
a patrono
factas.*

§. XXII. Similiter ex donationum propriarum indole, quam *supra Cap. I. §. VIII.* delineauimus, certissima iuris regula elicitur, quod talismodi donationes, inuito donatario, ordinarie ob nullum casum possint retractari. Add. *L. 1. pr. de Donat.* uerb: *nec ullo casu ad se reuerti.* Ab hac regula, contra iuris generalis rationem, excipiuntur casus nobis *supra Cap. I. §. X--- XIII.* memorati, atque ex his etiam casus in *nostra L. si unquam. 8.* comprehensus, quo nim. reuocatio donationis, in *libertum* collatae, ob adgnationem liberorum donatori permittitur. Sicuti uero haec Lex nostra, exceptionem quippe continens, saltim de donatione, in *libertum* facta, loquitur, de donis autem, quibus quis *alium*, praeter libertum, affecit, penitus silet, ac peruulgati iuris est, exceptione regulam in casibus, non exceptis, firmari, arg: *L. 4. §. 6. de pen. legat.* ita etiam uel ex hoc capite manifestum redditur, non posse casum, quo quispiam ingenuo aliquid largitus est, ac postea liberus suscepit, sub *L. 8. comprehensum* censer, sed eundem ad-
huc

huc diiudicari debere ex regula, utpote quae ob nullum casum donationes proprias, inuito donatario, euertere permittit, atque eandem ob causam omnes casus haut exceptos complectitur. Accedit, quod *L. 8.* etiam quantum ad ipsos liberos attinet, contra rationem iuris generalis donationum introducta sit. *uid. supr. Cap. I. §. VIII. et Cap. II. §. II.* Atqui uero, quod contra rationem iuris sancitum, ad consequentias produci uetatur in *L. 14. sqq. de LL. L. 141. pr. de R. Iur. c. 28. de R. I. in 6.* In his etiam et similibus dicendum: Noluit lex, quod non dixit; item, lex non permittendo, exigere uetuit, ut ait *SENECA Lib. V. de Benefic. cap. 21.*

§. XXIII. Aliud argumentum pro stabilienda nostra Tertium sententia suppeditat *Legis. si unquam. 8. inscriptio*, quam a argumen- mendis liberauimus *supr. §. I. praesentis Capitis.* Directa tum desu- eadem est ad Orfitum, *Praefectum Vrbi.* Hic enim ordi- mitur ex narius mos erat in promulgandis constitutionibus, ut *Leges*, ab Imperatoribus conditae, si uniuersales erant, uel cit. Legis immediate ad populum, uel ad Praefectum Praetorio, uel inscriptio- Praesidem Prouinciae mitterentur, qui deinde illas popu- ne. lo rite promulgabant. Quod si uero *Leges* eiusmodi causam continebant, quae tantum ad certi cuiusdam Magistratus iurisdictionem et cognitionem spectabat, eadem *Leges*, seu constitutiones ut plurimum ad eundem Magistratum, cui potestas erat, de casu ibidem comprehenso iudicandi, dirigebantur; adeo, ut hic postea, programma affixo, uel aliis modis, *leges* populo, uel iis, quorum scire intererat, proponere deberet. Idem, inquam, factum est in *L. si unquam. 8.* utpote quae a *Constantio Imper.* dirigebatur ad Orfitum, *Praefectum Vrbi*, quia sigillatim ad Praefectos Vrbi querelarum *patronos* inter et *liberos* Romae spectabat cognitio, quemadmodum uel maxime patet

patet ex *L. 1. §. 2. et 10. de offic. Praef. Urb. L. 1. §. 2. de obsequ. par. et patron. praes. Inscript. L. 2. C. de libert. et liber. eor. et ex infinitis LL. aliis.* Atque id ipsum quoque nobis argumentum praebet haut vulgare, quod *Constantinus Imper. sanctionem Legis. 8.* non nisi ad *libertos* pertinere uoluerit: cum ceteroquin uerosimile haut sit, eandem Legem ad Praefectum Urbis fuisse emissam.

Variae con-
iecturae pro
nostra sen-
tentia ad-
ducuntur.

§. XXIV. Neque minus ab omni uerosimilitudine alienum est, si causam ex *L. si unquam. 8.* donationes reuocandi tam patronis, quam donatoribus aliis communem uoluissent Impp. quod in integris titulis *de inofficis. donat. et de reuocand. donat.* utpote in quibus causae donationes retractandi data opera recensentur, ac determinantur, isthanc mentem suam ne uerbulo quidem declarari fuissent. Sane enim nuspam in toto Iuris Iustiniani corpore, uel minimum uestigium occurrit, quod ob superuenientiam liberorum donationes, iure permittente, infringi ostenderet, praeterquam in ipsa *Lege nostra. si unquam. 8.* et *L. 5. C. de inoffic. donat.* quae tamen lex posterior huc non pertinet, sed peculiarem reuocandi modum continet, a nobis iam supra *Cap. I. §. XII. et XIII.* expositum. Praeterea, si sanctio *Legis. 8.* etiam ad donatarios *ingenuos* pertinuisset, profecto nullus modus reuocandi frequentior fuisset, nullaque uia euertendarum donationum facillior fuisset, quam si donator uxorem duxerit, liberosque susceperit, et hoc modo ad se retraxerit donata. Equis ergo credet etiam *Iustinianum Imper.* adeo oscitantem fuisse, ut modi istius, si *generalem* existimasset, ne minimam mentionem iniecerit, aut, quod tamen obscuritatis tollendae gratia quam saepissime alias fecit, *Constantii* legem non interpolauerit, eamque ad quoslibet donatarios traduxerit; aut omiserit nouam legem in fauorem

rem liberorum donantis promulgare, in qua ea, quae in L. 8. de liberis dicuntur, aliis etiam donatariis adaptauerit. Non possunt non in hac praesumptione mecum confirmari, quotquot ex historia iuris norunt, tantam fuisse *Iustiniani Imper.* in liberos clementiam, ut fere dubium sit, utrum *liberis* magis, an *feminis* idem Imperator fauerit. In iuribus enim, ac priuilegiis liberorum amplificandis quam facilem se praebuerit *Iustinianus*, tot eiusdem nouae Leges, quibus utilitati liberorum prospexit, et ueterum constitutionum, eodem tendentium, multoties repetitae confirmationes, abunde docent. Innumera earundem exempla adducere heic possemus, nisi iam peruulgata, et omnibus satis nota essent. Quis enim ignorat, quod idem sacratissimus Imperator c. gr. 1) omnia bona liberis, in patria potestate constitutis, extra causam castrensem, uel quasi castrensem, et aliunde, quam ex rebus paternis, obuentionia, rationibus paternis exemerit, et filisfam. sub nomine peculii aduentitii concesserit? §. 1. *Inst. per quas pers. cuique adquir. L. 6. pr. C. de bon. quae lib. cum ante Iustiniani imperium res eiusmodi aduentitiae, exceptis bonis maternis, ac materni generis, nec non lucris sponsalitiis et nuprialibus, non liberis adquirentur, sed patribus, qui propterea liberam de illis disponendi facultatem habebant. Eidem Iustiniano liberi 2) acceptum ferunt peculium aduentitium extraordinarium, seu illud, quod liberis pleno iure acquiritur, ita, ut ne ususfructus quidem patri relinquatur; cuius peculii uariae species succincte, et, uti solet, accurate exponit Compendium LAVTERBACHIANVM p. 258. sq. Idem Imperator 3) portionem liberorum legitimam ad trientem ac semissem auxit, Nou. 92. et 18. cap. 1. cum ante illum haec portio quarta parte, et quidem sine casuum discrimine absolueretur L. 8. §. 9. et 14. de*

14. de inoff. testam. PAVL. Lib. IV. Recept. sentent. tit. 15. §. 5. PLIN. Lib. V. Epist. 1. De favore Iustiniani erga liberos 4) satis luculentum testimonium in eo etiam habemus, quod idem causas liberos exheredes scribendi, quae antea pene arbitrariae, et maximam partem leues erant, ad longe pauciores in Nou. us. cap. 2. restrixit, adeo, ut ui huius beneficii, a Sacratissimo Imper. liberis concessi, extra casus, in cit. Nou. nominatim recensitos, illicita sit exhereditatio. Bone Deus, quam egregia iura Iustinianus liberis 5) in successuum materia non concessit? et ea, quae ab Antecessoribus ipsis iam indulta erant, multoties, ac saepe non sine taedio confirmando repetiit, ne scil. cuiquam obscurum esse possit, quanta uoluntate fuerit, liberorum commodis prospiciendi? Neutriquam ergo credibile est, Iustinianum reuocationis, ex hac causa faciendae, nullam in toto LLum suarum Corpore mentionem fuisse iniecturum, si eandem uniuersalem, et in liberorum, cuius donatori postea agnatorum, emolumentum uergere putasset, uel minimum ipse ad quosuis donatores orbos, ac postea liberis auctos, pertinere uoluisset.

Ad obiecti-
ones dissen-
sientium re-
spondetur.
Probat
quoque in
nostra L. §.
unquam.
minime
contineri
exemplum
iuris, uel
rescriptum.

§. XXV. Superest iam, ut e medio quoque remoueamus dubia dissentientium, eaque in §. XV--XIX. praef. Cap. a nobis recensita: quae, quanto infirmiori fundamento nituntur, tanto etiam facilius profligari posse confidam. Quantum enim attinet 1) ad obiectiões, *supr. cit. §. XV.* adductas, et illam praesertim, qua dissentientes in *Lege nostra. 8.* saltem *exemplum* iuris, uel *rescriptum* Constantii, ad casum de liberto eidem propositum, contineri existimant; Profecto in hac opinione iidem turpissime falluntur, et alios etiam incautos turpiter fallunt: Siquidem hunc errorem, uel sola *Legis. 8.* inspectio depellit, et uerba initialia: **SI VNQVAM libertis etc.** satis ostendunt, *Legem nostram* non

non ad specialem casum, Imperatori propositum, datam esse, ac propterea neutiquam *exemplum* iuris, antea iam constituti, uerum utique *nouam* et *generalem*, ad omnes in *Sed legem generalem, eamque tamen ad patronos et libertos referendam.* *Constantii* dispositionem continere. Neque etiam haec praefati Imper. constitutio ad *consultatorem* quendam, uel litigantem, (quod tamen nota praecipua est rescriptorum) sed ad Magistratum Orfitum nempe, *Praefectum Vrbi*, directa est. Deinde nec ex uerbis Legis nostrae elicere possumus, quod *ipse Orfitus* de casu, libertum inter et patronum coram se agitato, Imperatorem consuluerit, et hic in praesenti Lege *eidem* rescripserit. Quin potius, quod in *hac L.* nullum rescriptum, sed lex generalis contineatur, confirmare etiam uidentur uerba: *omnia bona, VEL partem aliquam*. Si enim Orfitus Imperatori casum proposuisset, idem sine dubio simul retulisset, utrum patronus reuocaturus *omnia* bona sua, an tantum *partem* aliquam liberto donauerit: Idcirco Imper. in rescripto suo non respondisset ad *duplicem* casum, scil. quo *omnia* bona, et quo *pars* tantum donata, sed ad illum solummodo, de quo ab Orfito erat interrogatus. Ceterum, si uel maxime Imper. consultus fuisset ab Orfito de casu, coram ipso uentilato; tamen necessario ob uerba generalia: SI VNQVAM, dicendum esset, *Constantium* rescribendo non tantum Orfito ius, secundum quod casum propositum dirimeret, suggestisse, sed etiam hac occasione, ipsi oblata, generaliter, ut donatoribus patronis ea, quae adhuc orbi in libertos contulissent, liberis, postea susceptis, retractare liceret, constitui, ac libertos arctiore uinculo, quam donatarios alios, adstrinxisse. *Reper. dicta supr. §. II.* Nam non infrequens erat, quod Imperatores, uel a priuato quopiam, uel a Magistratu consulti, eo ipso generali constitutione ius nouum introducendi, uel

uel antiquum declarandi, aut confirmandi, occasionem arriperent *L. 3. C. de LL. uerb: uel lis mora legis occasionem postulauerit.* Quodsi igitur uerum est, (uti etiam ob ante dicta, nulla ratione, in dubium uocari, ne dum negari potest) *Legem nostram. 8.* neutiquam exemplum iuris, antea introducti, aut simplex *rescriptum* continere, sed eandem a *Constantio* in forma generalis dispositionis, seu legis promulgatam esse; sane ex hoc sponte sua sequitur, illam ipsam *Legem. 8.* tanquam ius singulare, saluis bonae interpretationis regulis, nullo modo adaptari posse donatoriis ingenuis, ibidem non expressis, utpote in quibus praeterea rationes *Legis nostrae* penitus exulant.

Continuatio §. antecedentis.

§. XXVI. Ecce itaque solummodo *libertorum* mentionem fecisset *Constantius*, si hanc reuocandi causam ingenuis etiam communem esse uoluisset? Quod si mens eius fuisset, ut idem in quolibet donatore obtineret, certe unico saltem uerbulo, quod utique facillimum erat, id indicasset, et forte scripsisset: *Si QVIS liberos non habens etc. uel: si quisquam unquam filios non habens. uel: siue libertus, siue patronus;* uti factum in *L. 12. C. de procur. uel: non libertis tantum, sed etiam ingenuis.* uti in *L. 17. C. de legat. arg. c. 2. §. 1. X. de transl. Episcop. uerb: si circa translationem idem fieri uoluisset, etiam de translatione poterat expressisse.* praesertim cum ipsimet *Constantio*, ueluti *supr. in eunte §. IV. huius Cap. ex Ammiano Marcellino* notauimus, in more positum fuerit, ea, quae donauerat, facile iterum adimere. Nisi me omnia fallunt, *ICti* illi prudentissimi, quorum opera Imper. in hac Lege condenda usus fuit, summae stultitiae damnandi essent, quod, cum *Constantius* quoque eandem *Legem* ad ingenuos spectare uoluerit, ipsi sine ulla ratione solam *libertorum* mentionem fecissent. Noluit ergo lex, praesertim ius singulare et exorbitans

bitans complexa, quod non dixit, sed non permittendo exigere ueruit; quin etiam uerbis legum deficientibus, ipsa quoque lex deficit, *arg. L. 4. §. 6. de damn. infect. L. 5. pr. de administ. tut. L. 12. §. 4. de accusat. etc.* In eiusmodi legibus locum habet argumentum a *contrario*, alias quoque fortissimum, *arg. L. 1. pr. de Offic. eius, cui mand. iurisd.* ac propterea dicendum: Quia reuocatio in lege conceditur patrono, ergo non concessa simul est donatoribus aliis. etc. Quae cum ita sint, dissentientes opinionem suam in epte tueri conantur ex brocardicis illis: α) Scire LLes non esse uerba earum tenere, sed uim et potestatem *L. 17. de LL.* β) Magis respiciendum esse ad mentem, quam ad uerba legis. γ) Rationem legis esse huius animam. δ) Vbi cunque eadem ratio, ibi etiam eandem fieri debere iuris applicationem. etc. Nam respondetur: Primam regulam tum demum locum sibi uindicare, cum uerba legis *dubia* sunt, uel talia, quae ad diuersos sensus trahi possunt, non, cum uerba sunt *clara*, uti in hac Lege nostra, quippe in qua omnia uerba perspicuum intellectum habent. Vbi de alia mente non constat, uerbis legum debemus inhaerere. Deinde non adeo absurdus fuisse credendus est CELSVS ICUS in *cit. L. 17. de LL.* ut uerba legum pro otiosis habuerit, illaque attendenda esse noluerit: (*quod si enim, uti CICERO ait in Orat. pro Caecin. uoluntas tacitis nobis intelligi posset, uerbis omnino non uteremur; quia uero non potest, uerba reperta sunt, quae indicarent uoluntatem*) Sed hoc saltem *Celsus* innuit: neminem saluis legum uerbis contra earum mentem aliquid committere, aut fraudem legibus facere debere, quod idem traditur in *L. 29. et L. 30. de LL.* Siquidem in *cit. L. 17.* Viri Docti iam dudum Graecismum obseruarunt, per quem uocabula *non, sed, idem atque non solum, sed etiam* significant. Vnde

denuo apparet, dissentientes in Lege ista opinionis suae colorem inepte quaesivisse. Idem dicendum de secunda regula. Terciam nos minime negleximus, sed satis superque monstrauius, nostram sententiam rationibus non minus, ac menti LLatoris maxime esse consentaneam. Quantum denique ad canonem quartum attinet, negamus et pernegamus, rationes *Legis nostrae*. §. donationibus, ab orbo in quoscunque collatis, posse adaptari. Quam ob rem nostrarum partium erit, praesenti loco illas rationes, quas dissentientes *Legi. si unquam*. §. affingunt, et quas nos *supr. Cap. II. §. XVI.* enumerauimus, sub examen uocare, ac quibus fundamentis eadem nitantur, studiosius disquirere.

*Rationem
L. si unquam. nul-
latenus
quaeren-
dam esse in
pietatis con-
iectura. At-
que hoc §§.
XXVIII.
XXIX. et
XXX. uari-
is argu-
mentis pro-
batur.*

§. XXVII. *Rationum* uero, quas ueluti *supra cit. §. XVI.* diximus, communis opinionis sectatores Legi nostrae tribuunt, *summa* in eo consistit, quod dicant, Imperatorem hisce ex causis in *dict. L.* reuocationem donationis patrono permisisse, quod ob *coniecturam* amoris, quo parentes liberos prosequuntur, donator orbis non fuerit uerosimiliter donaturus, aut extraneum liberis praelaturus, si de liberis suscipiendis *cogitasset*; et quod ob eandem causam donatio, ab orbo facta, continere uideatur tacitam *conditionem: si liberi non adgnascerentur*. Hanc ipsam rationem uti uariis legum argumentis comprobare nituntur, ita etiam eandem generalem esse, ac propterea *omnibus* donatoribus *orbis* aptari posse, contendunt. Enimuero licet in hoc fundamento opinionis suae fundamentum dissentientes collocent; tamen mox dicenda, quam fluxum et instabile illud sit, satis ostendunt. Inprimis A. FABER. *Lib. VII. Coniectur. cap. 15.* ad istud euertendum, hoc argumento utitur, quod dicat, rationem, cur *Constantius* patrono facultatem donata ob superuenientiam liberorum reuo-

reuocandi concesserit, in illa quidem *pietatis coniectura* quaerendam esse, interim tamen hanc tacitae uoluntatis praesumptionem ad euertendas donationes non satis ualidam, aut sufficientem fuisse, sed eandem demum ab Imperatore in *Lege nostra. 8.* confirmationem accepisse. Istam uero confirmationem *Constantii* neuiquam ad *omnes* donatores, sed solummodo ad *patronos* pertinere. Fateor quidem, hanc *Fabri* responsonem aliquo modo posse defendi, si dicamus, rationi de praesumpta donantis uoluntate adhuc aliam *accessisse*, nempe *σχέσις* personarum patroni donantis, et liberi donatarii, eamque ob causam *Legem nostram. 8.* non applicari posse donatariis ingenuis, quia in his posterior ratio exulat; Sed necessarium esse non puto, ut ad hanc responsonem confugiam, et hoc pacto Aduersariis occasionem cauillandi suppeditem. Potius ergo illam tacitae uoluntatis, ac conditionis praesumptionem, ne pro *una* quidem ex Legis nostrae rationibus, nedum pro *adaequata* ratione habendam esse existimo, idque ex argumentis sequentibus: *nob. scholasticam*

§. XXVIII. I) Donatio utriusque consensu, donantis scil. et donatarii perficitur, *uid. supr. Cap. I. §. IX.* ideoque ad reuocandam donationem non sufficit, in unius animo tale quid praesumi. Et, si uel maxime non solum *uerosimile*, sed *aperum* quoque esset, (u. gr. ex iurata donantis assertionem;) donatorem, dum donauit, conditionem: *si liberi non nascerentur*; in animo habuisse, tamen eius nulla habenda est ratio, si uerbis eandem non significauit. Peruulgati enim iuris est, quod propositum in mente alterius pacifcentis retentum nihil operetur. *arg. L. 50. de condict. indeb. L. 25. C. de transact.* Vnde II) sicuti actus simpliciter facti censentur *puri*, ac sine die et conditione, *arg. L. 41. §. 1. de V. Obl. L. 1. L. 3. de condit. et demonstrat.*

erat. ita etiam donatio inter uiuos *simpliciter* facta pro pura habetur, et ea cum primis indole gaudet, quod regulariter nullo casu possit *reuocari* *uid. supr. Cap. I. §. VIII.* Neque propterea attenditur, utrum donans *conditionem* reuocandi in animo habuerit, an minus. Deuisset enim donator antea, quam donationem perficeret, cogitare de eo, quod fieri potuit, et tanquam rerum suarum arbiter donationem certis limitibus circumscribere, conditionemque, quam forte in *animo* habuit, perspicue exprimere. Hoc uero si non fecit, sed ita rem suam sine conditionis adiectione in alterum contulit, profecto non, nisi oscitantiae et incuriae suae acceptum ferre debet, quod legem rei suae non dixerit tempestiue, et beneficio suo modum, quem uoluit, non imposuerit tum, cum res aut tempus id admittebant. *arg. L. 39. de pact.* In idem etiam DIO-CLETIANVS et MAXIMIN. *Impp.* Gerontio cuidam, ea, quae Comitis sui uxori sub conditione reuocandi, eaque tamen in animo tantum retenta, neque donatrici, ne adhuc integra, manifestata, donauerat, reuocatur in *L. 7. C. de condict. ob caus. dat.* indignabundi rescripserunt: *Si repetendi, quod donabas uxori eius, quem ad proficiscendum tecum huiusmodi liberalitate prouocare proposueras, NVLLAM ADDIDISTI CONDITTONEM, remanet INTEGRA donatio: cum LEUITATI perfectam donationem reuocare cupientium iure occurratur.*

§. XXIX. III.) Si donationes perfectas toties reuocare liceret, quoties casus accidit, quem, si sciuisset, uel de eo cogitasset donator, uerosimile sit, illum non fuisse donaturum; hoc inde consequeretur absurdi, quod e. g. tum quoque donationis propriae, eiusque perfectae, retractatio permitti debeat, cum donator post donationem bonorum suorum iacturam infortunio quodam, uel alio

alio modo passus est. Quia heic aequè *praesumi* deberet donator, quod non fuisset donaturus, si de hoc infortunio ipsi olim sustinendo *cogitasset*. Ast, ubinam in iure hoc traditur, quod tali casu donationum retractatio locum habeat? IV) Nostrum non est, citra legum auctoritatem tacitas conventiones fingere, aut coniecturas sectari *L. 7. §. 2. de suppellect. leg. V*) Perfecta donatione non licet, invito acceptante, conditiones adiicere, *L. 4. C. de donat. sub mod.* Ergo idem donans post actus perfectionem multo minus tacitas conditiones adiicere poterit. Alioquin enim nunquam censeretur perfecta donatio, si quodocunque liceret donatori pro arbitrio comminisci, quid ille, cum donaret, senserit, quamue liberalitati suae legem tacite inesse intellexerit. VI.) Quoties in donationibus de conditione cooritur ambiguitas, toties *interpretatio* facienda est *aduersus* donatorem, utpote qui clarius loqui debuisset, *arg. c. cum dilecti. 6. X. de donat.* Ceterum VII.) quod coniectura pietatis et liberorum fauor, rationem *Legis. si unquam minime* constituat, ex eo etiam manifesto apparet, quod patronus res donatas, easque ob agnationem ad se reuerfas, non cogatur liberis suis relinquere, sed liberam potestatem habeat, de iis quouismodo disponendi, easque in extraneos etiam, donationis, uel alio titulo, transferendi. *cit. L. si unquam. 8. uerb: reuertatur in eiusdem donatoris arbitrio ac diuisione mansurum.* Add. *dicta supr. Cap. II. §. XIII.* Sane ergo maxime absurdum esset, modum donationes ex *L. 8.* reuocandi *propter* liberos, inque horum fauorem introductum esse, et tamen iisdem liberis, neque ipsas res donatas, neque aliquod ius in illis adquiri.

§. XXX. Quod autem VIII.) attinet ad *coniecturam pietatis* ex *L. 102. de C. et D. et L. 30. C. de fideicommiss.* desumptam, et nobis *supr. §. XVI. huius Cap.* memoratam; Haec certe

certe non aliter, quam inepte huc trahitur. Siquidem casus in *citatis LL.* comprehensi, a casu nostrae *Legis. 8.* adeo diuersi sunt, ut omnis comparatio heic exulare debeat, nisi misera diuersissimorum negotiorum confusio esset admittenda. In illis enim *LL. α)* fermo est de *fideicommissis*, uel ultimis uoluntatibus; in nostrae autem *L. 8.* casu agitur de *donatione*, tanquam actu inter uiuos. Iam uero, ueluti omnibus notum est, longe facilius ultimae uoluntates, quippe ab unius hominis uoluntate dependentes, reuocantur, longeque facilius fideicommissa excluduntur, quam donationes, tanquam actus inter uiuos, utriusque consensu initi. Deinde etiam ultimae uoluntates multo plenius et largius exponi in *LLibus* iubentur, *L. 12. de Reg. Iur.* ita, ut spectanda sit *solius* testatoris uoluntas, et eadem interpretationem ex sola *coniectura* uoluntatis morientium desideriis, ex uiuentium arbitrio aestimatis, recipiat, uti dicitur in *L. 4. C. de natur. liber.* Neque in eo aliqua iniuria inferitur illi, qui capit ex ultima alterius uoluntate, si non plus ei detur, quam dare testatorem uoluisset apparet, aut uerosimile est. Ast in negotiis inter uiuos longe aliter res sese habet. Sicuti enim haec mutuo utriusque consensu ineuntur et perficiuntur, ita etiam unius poenitentia non possunt iterum dissolui. *L. 31. de Obl. et A. L. 5. C. eod. arg. L. 35. de R. Iur.* eamque ob causam in illis utriusque uoluntas spectari debet, neque interpretatio ex sola alterutrius uoluntate fieri potest. In actibus inter uiuos cum maxime locum habent regulae, *supr. §. XXVIII. et XXIX.* expositae, ueluti: Propositum in mente retentum nihil operari. item: In negotiis inter uiuos, mutuo consensu gestis, illud tantum inspici, quod actum est, at non, quid ab hoc, aut ab illo, sed quid inter utrumque. Alioquin enim semper fere conuentionem rescindere

dere posset, cui eandem pro arbitrio et ex coniecturis interpretari liceret. Vnde iterum uel ex hoc abunde patet, quam parum apte ad donationum, ob liberos agnatos, reuocationem et interpretationem trahantur leges, in quibus de ultimarum uoluntatum retractatione, et expositione agitur. β) Quo pacto ratio *cit. LL. 102. et 30.* consistere dicatur in *pietatis coniectura*, eleganter et copiose exponit A. FABER, *Lib. VII. Coniectur. cap. XIV.* ubi simul doctissime ostendit, eandem pietatis coniecturam longo alio sensu accipiendam esse, quam quo illam communis opinionis sectatores accipiunt, ut propterea pessime ad casum *L. si unquam. §. trahatur. γ)* Dispositio praefatarum *Legum 102. et 30.* locum habet in eo casu, quo a) testator fideicommissum reliquit, b) uni ex descendensibus suis, eumque c) rogauit, ut fideicommissum d) post mortem e) restituat tertio, fiduciarius autem, f) liberis relictis, (utpote qui etiam in familia testatoris existunt) decessit. Iam uero cogita, qualemnam conuenientiam casus iste habeat cum casu *Legis. si unquam. §.* utpote in quo non ille, qui iam liberos habebat, sed *orbis*, donauit, non *filiis*, sed *extraneo*, et quidem ad restituendum non grauato, sed *pure et absolute*: itemque in quo non *donatario* sed *donanti* liberi adgnati sunt. Ego sane ne minimam quidem consonantiam inter utrumque casum deprehendo.

§. XXXI. Neque IX.) nobis quidquam officit argumentum, ex *L. 40. §. fin. de pact.* petitum, quod ex dissentientibus praecipue *Molinaeus* urget. Huius enim argumenti ineptias iam dudum ANTONIVS FABER *Lib. VII. Coniectur. cap. XV.* ita detexit, ut uel manu palpari posse uideantur. Dignus est ille *Fabri* locus, qui integer hic exhibeatur: Ita autem ait: *Iam uero, quod Molinaeus scripsit, beneficium dictae L. si unquam. non esse nouum, idemque iam*

*Responsio
ad L. 40.
fin. de pact.*

iam olim Papiniano in donatore quolibet, quod Constantino in patrono uisum ex L. tale pactum. 40. §. ult. de pact. DEVS Bone quam ridiculum est et ineptum? Quasi uero tractetur eo loco de donatione inter uiuos, uel mortis causa in fratrem collata, ac non potius de pactione, quam socer, cum dotem promitteret, fecerat, ut heredi suo fratri consuleret, conferens nempe supremum iudicium in fratrem suum, quod nullos eo tempore liberos habebat. Quare nec ait Papin. susceptis postea liberis reuocari, uel inutilem effici conuentionem. Quinimo utilem manere uult, ut ex ea non quidem fratri, qui nominatus fuerat, sed liberis, postea susceptis, et heredibus, testamento relictis, detur exceptio, non pacti, quia fratri non liberis pactus fuerat pater, sed doli, quae subsidiaria est exceptionis pacti L. rescriptum. 10. §. ult. cum sq. eod. Ratione illa, quod inter contrahentes id actum esset, ut heredibus consuleretur, neque enim poterat in ea specie frater fratri pacisci, aut stipulari, nisi tanquam heredi L. stipulatio ista. 38. §. alteri. L. Si mihi et Titio. 110. de V. O. Porro supremae uoluntatis proprium illud est, ut siue in testamento siue ex contractu expressa sit, ad mortem usque sit ambulatoria L. 4. ff. de adim. legat. L. cum hic status. 32. §. poenitentiam. de donat. inter uir. et uxor. L. I. C. de SS. Ecclef. Et reuocatam esse constabat non solum ex coniectura uoluntatis propter susceptos postea liberos (quanquam sufficere hoc poterat mortuo patre, cum intelligatur quisque legitimam hereditatem sponte relinquere iis, qui proximiores sunt ab intestato, praesertim liberis L. conficiuntur. 8. ff. de iure codicill.) sed ex testamento ipso, quo liberos pater heredes scripserat, sed si donatio, aut inter uiuos, aut mortis causa in fratrem collata esset, nihil est apud Papinianum, ex quo possis colligere admissurum eum fuisse, ut propter susceptos postea liberos ipso iure reuocaretur, quia nec per uoluntatem pura et absoluta donatio reuocari posset. Illud uero quam absurdum existimare

mare donationem, quam quis ex contractu alieni matrimonii sponsum sponsamue contulerit reuocari etiam ipso iure, si donatori adnascantur liberi? an non ita sit fraus non tantum donatario aut donatariae, sed etiam eius coniugi adeoque liberis ex eo matrimonio susceptis? Quis autem ex ueteribus illis iuris prudentibus admitteret id, quod donatum esset ob causam i. e. fauore nuptiarum, quibus nihil est favorabilius reuocari post causam secutam i. e. post secutas nuptias; quae nec amplius dissolui possim, et quibus ipsa donatio causam dederit? Cum non aliter contracturus fuisset alter ex coniugibus, quam si donatio illa in coniugem collata esset. L. si donaturus. 9. §. si quis indebitam. ff. de condict. caus. dat. L. pen. §. 2. sed et si quis. ff. quod fal. tutor. L. si remunerandi. 6. §. plane si tibi. ff. mandat. Itaque non possum satis mirari ab amplissimo ordine probatam hanc tam absurdam, iniquamque sententiam. Nunquam enim apud supremos rectosque iudices communis error ius facere debet. Haec Iuris Consultissimus Faber non minus uere ac docte, quam grauiter.

§. XXXII. Praeterea, si coniectura pietatis, uel praesumpta donantis uoluntas, (quod tamen dissentientes uolunt) rationem nostrae Legis. si unquam. 8. constitueret, inde profecto consequerentur absurda plurima, ex quibus praesenti loco tantum aliquot adducam, quo nim. omnibus clare pateat, quam incongrue ratio ista Legi nostrae tribuatur. Sic enim 1) donator, cum dona in alterum uere et absolute confert, eo ipso mauult, donatarium habere id, quod donatur, quam se ipsum, uti ait PAVLVS in L. 35. §. 1. de mort. caus. donat. Quod si igitur in L. si unquam. 8. eam ob rationem reuocatio concederetur, quod donans non credatur extraneo donatario liberos suos fuisse praelaturus; hoc inde fluere absurdi, quod donator malit rem donatam ad liberos suos peruenire, quam apud

Ostenditur, multa inconuenientia fluere ex ratione dissentientium, a coniectura pietatis desumpta.

se ipsum remanere, et quod consequenter donans magis diligat liberos suos, quam se ipsum, id quod tamen minus congrueret charitatis ordini, quam a se ipso incipere nemo ignorat. 2) Si ratio dissentientium, a coniectura pietatis et tacita conditione petita, uera esset, eamque ob causam *Lex. si unquam. §.* locum haberet in omnibus donatoribus et donatariis, hoc inde sequeretur inconueniens, quod nemo, nisi liberos habens, posset intelligi, pure ac plene et irreuocabiliter donasse: et quod ad hoc, ut donatio, ab orbo facta, ualeat, ac irreuocabilis reddatur, necessaria sit *praesentia liberorum*, qui nondum nati sunt; Cum tamen ne illorum quidem liberorum, qui *iam nati* sunt, praesentia, aut consensus in parentis donationem requiratur, ueluti disertis uerbis rescripserunt *Impp. in L. 6. C. de reuoc. donat.* 3) Hoc etiam absenti ex ipsa illa ratione flueret, quod ob eandem causam *aequitatis et pietatis* donationis reuocatio concedenda sit illi, qui donationis quidem tempore liberos iam habuit, sed postea *plures* sustulit. Posset enim etiam talis donator praesumi, donaturus non fuisse, si de pluribus liberis suscipiendis cogitasset. Id quod uero aperte *Legi nostrae. §.* repugnaret. 4) Si pietatis coniectura et uoluntatis tacitae praesumptio pro fundamento *Legis nostrae* haberi deberet, inde quoque deduci posset haec conclusio, quod etiam *libertus* donationes, in *patronum* collatas, ob liberos, *sibi* postea agnatos, reuocare, patronoque eripere potuerit; et quod hoc modo in patroni odium detortum fuerit, quod in eius fauorem erat introductum. Ecquid uero adeo insulsus est, qui hoc liberto licuisse existimet? Possem, ueluti *§. hoc ineunte dixi*, hoc loco adhuc plura absurda deriuare ex ratione illa, qua Imperatorem, ut hanc *Legem nostram* conderet, motum fuisse. Dissentientes somniant; Sed piget me,

me, in re tam euidendi, et ferme palpabili uerba et tempus perdere. Sufficit, quod haecenus dicta satis comprobent, opinionem illorum, qui *Legis nostrae* rationem in pietatis coniectura, indeque deducta conditione tacita quaerunt, nullis omnino argumentis posse defendi, eaque de causa dispositionem citatae Legis donatariis *ingenuis*, utpote in quibus genuinae rationes cessant, inconuenientissime adaptari.

§. XXXIII. Ne quidquam intactum relinquatur *Responsio ad brocardicum: Conuentionem intelligi sub clausula: Rebus sic stantibus.* ex iis, quae nostrae sententiae obmouentur, ita officii mei erit, praesenti loco etiam respondere ad illud brocardicum: *Conuentiones intelligi rebus, in eodem statu permanentibus, seu sub clausula: Rebus sic stantibus.* Haec regula, uti *supr. §. XVI.* dixi, non minus nostrae sententiae opponitur. Sed reuera nihil nobis ab ista obiectione metuendum est. Sicuti enim alias hoc brocardico nimis abutuntur Interpretes, ita etiam idem ad nostrum casum perperam accommodatur. Circa sobrium regulae istius usum ante omnia probe secerni ab inuicem debent status *substantialia* et *accidentia*. Si substantialia, et quidem talia mutata sunt, quae non solum ad negotii constitutionem, uerum etiam ad conseruationem necessario pertinent; tum certum est, ipsum etiam negotium antea ualidum tolli, *arg. L. 3. §. fin. de his, quae pro non script. hab.* Statu autem tantum circa *accidentia* mutato, negotium, rite gestum, non rescinditur, neque clausula illa: *Rebus sic stantibus*; locum sibi uindicat, nisi 1) a *paciscenibus* expressa, uel 2) in *legibus* specialiter constitutum sit, ut tacite esse credatur. Quae omnia cum ex rationis dictamine, tum ex iure positiuo, doctissime deducit ac comprobatur *Illustr. COCCEL. in dissert. de clausula: Rebus sic stantibus. XV. Vol. II.* Iam ergo, ubi donatori orbo postea liberi ad-

gna-

gnascuntur, huius status minime mutatur circa *substantia-*
lia (nullibi enim in iure illi, qui liberos habent, quo mi-
 nus donent, impediri, aut prohiberi leguntur) uerum non
 nisi circa *accidentalìa*. Quam ob rem citata regula heic
 applicari non potest, sed talis donatio, ab orbo *pure* facta,
 licet superuenientibus liberis, subsistit: quia clausula illa
 seu conditio repetendi, neque 1) a *partibus* adiecta, (nam
 alioquin esset donatio conditionalis, atque impropria, de
 qua nos non loquimur. *uid. supr. Cap. I. §. VII.*) neque 2)
 a *Lege* specialiter constitutum est, ut eadem clausula taci-
 te insit huiusmodi donationibus. Equidem ipse *Cocceius*
 in eadem, quam modo laudauimus, dissertatione *Cap. II.*
§. II. et Cap. VI. §. 16. illorum, qui modum donationes
 ob liberorum adgnationem ex *L. si unquam. 8.* retractan-
 di *tam* libertis, *quam* donatariis ingenuis communem esse
 opinantur, sententiae accedit, eamque ex praefato
 brocardico stabilire conatur, dum nim. id quidem fate-
 tur, quod adgnatio liberorum tantum *accidentia* status
 mutet; sed tamen simul subiicit, *lege civili* specialiter heic
 constitutum esse, ut clausula: *Rebus sic stantibus*, tacite in-
 sit donationibus, ab orbe factis. Sed mallet ego, *Virum*
Summum in regularum, quas ipse magno cum iudicio de
 clausula illa tradidit, applicatione ad casum *Legis. si unquam.*
8. maiori circumspectione usum fuisse. Erronee enim
 idem cum communi Doctorum schola, rationem Legis
 nostrae in pietatis et tacitae uoluntatis praesumptione, ea-
 que in *L. 102. de C. et D. et L. 30. C. de fideicommiss.* memo-
 rata, fundari credidit, ac propterea existimauit, in ista-
 rum Legum argumento haut obscure constitutum esse, ut
 clausula: *Rebus sic stantibus*; donationibus, ab orbo factis, ta-
 cite insit. Ac leges praesumere, donatorem orbem, si
 de liberis suscipiendis cogitasset, nunquam donaturum
 fuisse.

fuisse. Enimvero, quemadmodum in antecedentibus §§. XXVII---XXXII. illam pietatis coniecturam ex L. 102. et L. 30. ad casum *Legis nostrae* neutiquam accommodari posse euictum est; ita etiam ex eo sua sponte sequitur, quod, ubi clausula ista, neque a *partibus*, neque a *lege*, (qualem in huiusmodi donationibus deficere, ex superioribus patet,) addita est, status mutatio, circa mera accidentia donationis, hanc nullatenus irritam faciat, eamque ob causam argumentum illud, ex clausula: *Rebus sic stantibus*; petitum, nostrae sententiae ne minimum quidem officiat.

§. XXXIV. In scenam nunc prodeat aliud argumentum, quo communis opinionis sectatores nostrae *Legis. si unquam. §. extensionem ad donatarios ingenuos defendi posse autumant.* Illud autem, ueluti *supr. §. XVII. huius iniqui continet.* Enimvero, quod alias illis interpretibus, qui neglectis debitis adminiculis iuris enucleationem inuadunt, solenne est, ut, ubi suam opinionem analogiae iuris parum congruere sentiunt, ad *aequitatem* confugiant, et hanc sibi patrocinari superciliose contendunt; Idem, nisi me omnia fallunt, in praesenti etiam casu usu uenit communis opinionis defensoribus. Hi enim, postquam aliorum, eorumque a nobis dissentientium *autoritate et multitudine* fuerunt occaecati, tantam de extensione *Legis nostrae* aequitatem animo conceperunt, ut risu dignos iudicarent, qui illam uel in dubium uocare auderent. Sed, si dicendum, quod res est, eadem illa aequitas, quae nobis opponitur, neutiquam *uera*, sed maxime *fucata* est. Quid enim ab aequitate alienius excogitari potest, quam hominibus, praecipue contra manifestam iuris expressi rationem, licentiam dare, fidem semel rite datam fallendi. Certe, si ob qualemcunque huiusmodi aequitatem rescindenda essent negotia,

tia, sine dubio futurum esset, ut nullum negotium firmum ratumque maneret. Semper enim aliqua huiusmodi aequitatis species posset effingi. Vix dici potest, quantas corruptelas Iurisprudencia experta fuerit ab illis Doctoribus, qui ex aequitate, quam sibi fingunt, sanctissimarum legum non interpretationem, sed arbitrium sibi arrogant, et hoc modo ius regale leges ferendi et mutandi, quo neququam Interpretes, sed summae in Rebuspubl. potestates gaudent, nefario et prorsus abominabili ausu inuadunt. Comprobare id possent plus, quam sexcenta exempla; sed instituti nostri ratio prohibet, quominus eadem heic adducamus. Hoc tamen silentio praeterire non possum, quod *Lex. 2. C. de Resc. uend.* pene eadem facta habuerit, quam *Lex nostra. si unquam. 8.* Quantopere enim *cit. L. 2.* citra omnem rationem, et ex sola aequitate cerebrina, extensa sit ab Interpretibus, abunde discimus ex LAVTERBACHII. *Compend. Dig. tit. de resc. uend. p. 346. sq.* cum tamen Doctores a pruritu isto tam *cit. Legem. 2. de resc. uend.* quam nostram *L. si unquam. 8.* extendendi auocare debuissent *Leges 14. 15. et 16. D. de LL.* in quibus extensio iurium singularium (cuiusmodi in *cit. L. 2. et 8.* comprehenduntur) etiam ob ueram aequitatem et rationis similitudinem, haut obscure uetatur.

Neque, reuocatione donationis, in ingenuos factae, negata iniuria efficiuntur donatoris liberi superuenientes.

§. XXXV. Praeterea non uideo, qua ratione dici possit iniuria illata esse liberis, qui post celebratam donationem donatori adgnati sunt. Parens enim eo tempore, quo donauit, rerum suarum liber moderator erat et arbiter *L. 21. C. mandat.* Liberis autem, qui tum temporis nondum nati erant, in parentis bona nihil iuris competiisse, quilibet sani sincipitis homo facile intelligit. Quam ob rem dici non possunt sensisse iniuriam, cum nulla mihi iniuria fiat, si mihi non praestatur, in quo nihil iuris habeo, arg.

arg. *L. 1. pr. de Injur.* Neque est, cur liberi superuenientes de alimentorum, seu necessariorum uitae subsidiorum defectu conquerantur. Nam, si parens omnia bona donationibus absumsit, neque tantum superest, ut liberi superuenientes possint sustentari, tum donatori parenti datur repetitio *quartae* partis rerum donatarum ex *L. 5. C. de inoffic. donat.* quae tamen a reuocatione ex nostra *L. si unquam. 8.* mirifice differt, ueluti *supr. Cap. I. §. XII. et XIII.* ostensum est. Deinde ualde inconueniens uideretur, quod dissentientes dicunt, non adeo magno damno affici donatarium, dum donata reddi cogitur donanti, cui liberi superuenerunt, quia reddendo non tam patrimonium suum diminuere, quam lucrum non facere uideretur. Haec, inquam, admodum absurda sunt. Donatarius enim donatione et subsecuta traditione rerum donatarum *dominium* pleno et irreuocabili iure adquisiuit *L. 1. pr. L. 25. L. 33. §. 1. de donat.* ac propterea hoc non magis, quam ea, quae sua opera, uel titulo oneroso sibi peperit, sine facto eius transferri nequit ad donatorem, utpote qui nullum ius in re donata retinuit. *L. 35. §. 2. de Mort. caus. donat. iunct. L. 11. de R. I.*

§. XXXVI. De cetero nobis haut quaquam officit *Au-* ^{Dubium ex} ^{Augustino} ^{dituitur.}
gustini locus, quem *supr. exeunte §. XVII. praesentis Capituli* exhibuimus. Accurate enim ibidem distinguitur inter ius *fori*, seu obligationem *iuris*, et ius *poli*, seu obligationem *uirutis*. Vtique *Aurelius*, ille *Carthaginensis Ecclesiae Episcopus*, non dici potuisset *iniustus*, si bonorum donatorum restitutionem negasset: Quia, uti ipse *Augustinus* ibidem fatetur, nulla obligatio *iuris* adfuit, quae ipsum ad reddendum adegerit. Atqui uero *iuris* nostri prudentia occupatur saltem circa iustitiam particularem, seu illam, quae in *suum cuique tribuendo* consistit, non uero etiam circa

circa *virtutes*, utpote ad quas nemo mediis externis cogi potest, uti doctè philosophatur *Dn. SAM. COCCEIVS in Iur. Controv. Civil. tit. de Iustit. et Iur. Quaest. 1.* Quare nemo, ut Aurelium heic sequatur, poterit compelli. Ceterum cum *Augustino* lubens fateor, *laudabiliter* et secundum regulas *virtutis* egisse Aurelium, quod donatori isti, qui postea liberos sustulerat, bona donata restituerit: quandoquidem virtutis regulae suadent, ut praecipue *egenis liberalitatem* nostram comprobemus, et beneficia accepta *remuneremur*. Potuit etiam adhuc aliis argumentis motus fuisse Aurelius, ut consentientibus Presbyteris (horum enim consensum illa aetate Episcopus in bonis Ecclesiae alienandis adhibere debebat, ueluti clare patescit ex *canonibus Concil. Carthaginensium quarti et quinti* apud *Illustr. DN. BOEHMER. in immortalis opere de Iure Eccles. Protest. Lib. III. tit. XIII. §. 9.*) bona donata redderet, e. gr. α) quod probe intelligeret, bona Ecclesiastica in primis in sustentationem *pauperum* conuerti debere, β) quod liberalitatem donatoris *remunerandam* censeret, et γ) quod putaret, hanc occasionem peropportunam esse alios ad *liberalitatem* erga Ecclesiam *inuitandi*, iisdemque declarandi, quod ea, quae Ecclesiae donantur, minime conferantur in *ingratam*, sed beneficiorum memorem, et remunerandi cupidam. Quae omnia, uti ab Aurelio facta non ex iuris necessitate, sed tantum libero animo et secundum regulas virtutis; ita nequiquam efficiunt, ut propterea donatarii ad res donatas donatori, post modum liberis aucto, citra iuris auctoritatem, restituendas, et hoc modo ad virtutem liberalitatis exercendam possint compelli.

Ex opinione dissentientium absurda quaedam derivantur.

§. XXXVII. *Methodi*, quam *supr. exeunte §. XIV. huius Cap.* mihi proposui, ratio quidem nunc exigere uideatur, ut hoc loco etiam ad posteriores dissentientium obiectio-

iectiones, a *communi opinione* et *usu fori* petitas, easque *supr.*
§. XVII. et XIX. praesent. Cap. allatas, responderem. Sed
quia eadem commodius in *Cap. sequenti*, ubi ex instituto
de *usu* nostrae sententiae uerba facturus sum, pertractari
posse uidentur, ideo ad dictum locum illarum obiectio-
num discussionem reseruabo. Interim tamen, et ante-
quam hoc caput finiam, haut abs re futurum esse existi-
mo, si ad stabiliendam sententiam nostram, qua sanctio-
nem *Legis. si unquam. §.* tantum ad donationes, a *patrono* in
libertos collatas, pertinere, hucusque propugnauimus, ad-
huc alia argumenta haec addam, quae nobis non minus
patrocinantur. Atque ita, si uera esset contraria opinio,
quae *omnibus* donatoribus, iisque postea sobole auctis, re-
uocare donationes, in *orbitate* factas, permittit; hoc inde
sequeretur inconueniens, quod uix ulla donatio, ab orbo
facta, perpetuo ualeat, et reuocationi exempta sit. Posset
enim istiusmodi donator sequi exemplum CAROLI MO-
LINAEI, *ICti Gall.* ceteroquin celeberrimi, qui ad saturan-
dum *odium*, quod in donatarium suum conceperat, cum
alia causa res donatas reuocandi deficeret, uxore ducta, li-
beros procreabat, et deinde peculiari commentatione (in
qua extensionem *Legis. si unquam. §.* ad *quoslibet* donatores,
liberis orbos, propugnabat) in publicum edita, *Senatum*
Parisiensem eo permouebat, ut secundum *communem opi-*
nionem pronunciaret, ac *Molinaeo* potestatem reuocandi
concederet: ueluti discimus non solum ex praefata ipsius
MOLINAEI commentatione, uerum etiam ex PAPONII
Lib. II. Syntagm. Tit. I. de donat. §. 20. itemque ex illo *Ant.*
Fabri loco, quem *supr. §. XXXI.* exhibui. Ecquid uero ini-
quius esset, quam hoc modo hominum *malitiis* (quibus
tamen ne indulgendum quidem est, *L. 38. de Rei uind. L.*
9. de seruitut.) fenestras aperiri, et donatoribus licentiam
dari,

dari, donationes, rite celebratas, pro lubitu conuelli, ac fidem turpiter fraudandi. Quare non putandum est, quod *Constantius* Imper. ius adeo absurdum et iniquum introducere uoluerit; siquidem interpretatio ita fieri debet, ut euitetur absurditas, atque ut sensus eruatur uerosimilis *L. 4. §. 6. de Offic. Procons. L. 22. de negot. gest. L. 1. §. 4. de public. et uectigal.* Ceterum non est, cur dicas: Sic reuera nostram *L. si unquam. §. 8.* quantum etiam attinet ad donationes, a patrono in *libertum collatas*, iniquitate laborare, quod scilicet aequo patronus ex odio in libertum, atque ex malitia, cum alia reuocandi causa deficeret, uxorem ducere, liberosque procreare, et tali modo donationem, antea rite factam, conuellere posset; Scias enim, non semper ea, quae in *ingenuo*, praesertim in capite de *retractandis* beneficiis, iniqua sunt, simul etiam talia esse in *liberto*. Hic enim ob multiplicem, qua patrono suo tenetur, obligationem aequo animo multa ferre debet, quae, si ad alios traherentur, longe essent iniquissima. Ut taceam, liberto doli patronum suum ne arguere quidem licuisse.

Offenditur
quod eadem
interpretatio
L. si unquam. §. 8.
nos attulimus,
sue in credito
Saec. V.

§. XXXVIII. Hisce accedit, quod iis etiam temporibus, quae aetatem nostrae *Legis. si unquam. §. 8.* exceptant, functionem istam non aliter acceperint, quam nos interpretati sumus, scil. quod neutiquam ad quoslibet donatores, liberis orbos, sed tantummodo ad *patronos*, liberis donantes, pertineat. Quantum enim ad *Saec. V.* attinet, in hoc quoque creditum est, donatori nullatenus competere potestatem, donationes, in *ingenuos* collatas, ob liberorum superuenientiam ex *L. 3. C. de reuoc. donat.* retractandi. Perspicue id ostendit locus ille *AVGVSTINI*, quem ex *can. 43. Caus. XVII. qu. 4.* iam supra in §. *XVII. praesentis Capituli*, adduximus. Collaudat ibidem *Augustinus* factum *Aurelii Episcopi*, qui ineunte *Saec. V.* floruit,

ruit, (ueluti patet ex praefati Augustini libro: *De gestis Pelagii contra aduersarios gratiae Domini Nostri Iesu Christi ad Aurelium, Episcopum Caribaginensem, A. C. 417. scripto, et in Germ. Augustae Vindel. A. 1615. in 8. excuso*) quod hic illi, qui, liberis orbus, omnia bona sua Ecclesiae donauerat, sed postea liberos sustulerat, bona donata reddiderit, non ex *iuris necessitate*, sed ex mera *liberalitate* et *charitate*. Ita enim ait Hiponensis Episcopus: *Quam laudabile factum sancti et uenerandi Episcopi, Aurelii Caribaginenensis? quomodo impleuit os omnium, qui sciunt laudibus DEI? Quidam enim, cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes (retento sibi usufructu) donauit Ecclesiae. Nati sunt ei filii postea: et reddidit Episcopus nec etiam opinanti illi, quae donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli. uerba haec: nec opinanti illi; item: sed iure fori; satis indicant, donatorem illum ne spem quidem bona donata recipiendi habuisse, et reuera etiam eidem non licuisse, ob solam liberorum superuenientiam donationem reuocare. Quod si uero *Lex Constantiana. si unquam. 8.* etiam ad donationes, in alios, quam *libertos* factas, pertinuisset, qua, quaeso, ratione *Augustinus* Aurelium secundum *ius commune* a necessitate reddendi immunem fuisse scripsisset, eiusdemque *liberalitatem* collaudasset?*

§. XXXIX. Existimare quidem posses, *Augustinum* et *Dubia contra Aurelium* istius *Legis Constantianae* forsan fuisse ignaros, *tra Augustini locum* *resoluunt* *ut scilicet iura, quibus nos utimur, fideliter ignorent; tur.* *iisdemque usu uenisse, quod nostris Clericis solenne est.* Sed noli hoc credere de binis illis Praefulibus: Eorum enim aetate non erat tanta legum multitudo, neque istas ignorandi licentia. Cuius rei testes locupletes habemus *ATHANASIVM* alicubi ita agentem: *Leges Romanorum ignorare, nemini securum est. nec non GREGORIVM NAZIAN-*

ZIANZENVM in Orat. de laudibus Athanasii, XXI. Πῶς
 χάρις ἐν ἄτοπον, Ρωμαίων μὲν νόμον μηδενὶ ἀγνοεῖν ἐξέιναι,
 μηδ' ἂν σφῶδρα ἢ τις ἀγροικίας ἢ ἀμαθῆστος, etc.
*Quidni enim absurdum esset Romanorum legem nemini ignora-
 re licere, neque tanta rusticitate quis foret et illiteratissimus, etc.*
 et VALENTINIANVM, THEODOSIVM ac ARCADIVM
 Imp. peculiari lege 2. Cod. Theod. de Constit. Princip. A. C.
 391. edicentes: *Perpensas Serenitatis Nostrae longa delibera-
 tione Constitutiones nec ignorare quemquam, nec dissimulare
 permitimus.* Equidem Augustinus Leges Romanas igno-
 rasse ex eo uideri poterat, quod cum Aurelio in *cit.*
can. 43. donatori, qui omnia bona sua donauerat, et post-
 ea liberos susceperat, ex sola causa agnatorum liberorum
 omne ius reuocandi negauerit; cum tamen donator, qui
 omnes facultates suas donauit, et sobolem postmodum sus-
 cepit, ex DIOCLETIANI et MAXIM. *Leg. 5. C. de inoffic.*
donat. quartam partem rerum donatarum reuocandi facul-
 tatem habeat; Enimuero, si dicendum, quod res est, *Au-
 gustinus* nihil heic iuri Romano aduersum scripsit; si-
 quidem modus ex *cit. L. 5.* reuocandi (ueluti *supr. Cap. I.*
§. XIII. ostendimus) locum sibi non uindicat, ubi
 uniuersorum bonorum donator *aliunde* habet, quo se su-
 osque liberos sustentet. Iam uero in casu *cit. can. 43.* do-
 nator usufructum, ceu ipse *Augustinus* in uerb: *retento*
sibi usufructu; non frustra indicat, sibi reseruauit, atque hoc
 modo alimenta, pro se et liberis suis sufficientia, habuit.
 Ceterum nonnulli *cit. can. 43.* ita interpretantur, ut exi-
 stiment, Ecclesiae duntaxat priuilegium competiisse, ne
 obligata sit, res, sibi ab orbo donatas, ob liberos, donatori
 adgnatos, restituere; cum tamen reliqui donarii ingenui
 in casu superuenientiae liberorum ad restituendum ex *L.*
si unquam. 3. tenerentur. Haec opinio, licet a Viris Sum-
 mis

mis prolata, omni fundamento destituitur. Sub *iure* enim *fori*, cuius *Augustinus* ibidem meminit, haut quam *privilegium* intelligi debet, sed *ius commune* et *promiscuum*. Nuspian enim deprehenditur, quod *ius fori* idem denotet ac *privilegium*. Ut taceam, nullibi *privilegium* in hoc casu Ecclesiae speciatim concessum reperiri. Quod denique obiicit FACHINAEVS *Lib. III. Controu. 86.* scil. Constantium Lege sua (quam ad ingenuos etiam pertinere Fachinaeus credit) non potuisse ligare Ecclesiam, hoc adeo insulsum, et omni fidei historicae aduersum est, ut risum potius, quam responsonem mereatur.

§. XL. Saeculo VI. nostram Legem. *si unquam. 8. Constantianam* itidem de donatione, non a quolibet orbo, sed tantum a *patrono* facta, intellexerunt: quod colligimus ex ANIANI *Breuiario Codicis Theodosiani* circa initium Saec. VI. iussu Alarici Iunioris, Wisigothorum Regis, conscripto. In hoc Breuiario Legem nostram *Constantianam* fuit rescripta. ANIANVS interpretatur uerbis sequentibus: *Si PATRONVS, filios non habens, aliquid LIBERTIS dederit, et postea suscepit liberos, quidquid largitus fuerit, reuertatur in eisdem donatoris arbitrium.* Quod si igitur tum temporis Lex isthaec etiam ad *aliorum*, eorumque liberis orborum donatorum, largitiones credita fuisset pertinere; Anianus ambiguitatis tollendae gratia sine dubio id indicasset, cum ipse Anianus scribat, praefatum Codicis Theodosiani Breuiarium iussu Alarici eum in finem confectum esse, ut omnium Legum Romanarum et antiqui iuris OBSCVRITAS in meliorem lucem et INTELLIGENTIAM redigeretur, nihilque DVBI relinqueretur, quo litigantes diu inter se iurgarentur. Cum explicatione Aniani concordant aliae uetustae interpretationis *Legis nostrae. si unquam. 8.* quarum binas *Legi. 3. C. Theod.*

C. Theod. de reuocandis donationibus IAC. GOTHOFREDVS subiecit, et in quibus similiter non nisi patronorum et libertorum mentio iniicitur.

Eandem
sententiam
Saec. IX. et
XIV. uig-
isse apud
Graecos.

§. XLI. Pari modo *Lex nostra. si unquam.* non de quibusuis donatoribus, sed de patronis tantummodo intellecta est *Saeculo IX.* quod discimus ex *Libris Βασιλικῶν Lib. XLVII. tit. de reuoc. donat. 2. Constit. 8.* ubi *Lex: si unquam. 8. C. de reuoc. donat.* hisce uerbis redditur: Ἐὼν πάτρων μὴ ἔχων παῖδας, τῷ ἀπελευθέρῳ χειρίσθηται πάντα τὰ πράγματα, ἢ μέρος αὐτῶν. ἔπειτα μετὰ ταῦτα παῖδας χροίη, πάντα πάλιν εἰς αὐτὸν ἵπασσεται τὰ πράγματα, ἢ ἐν τῇ αὐτῆς ἐξέσει μένει. id est ex uersione FABROTI: Si Patronus illiberis, liberto omnia bona sua, aut partem eorum, fuerit donatione largitus, et postea filios habuerit, omnia bona eius rursus ad eum reuertuntur, et in eius arbitrio manent. Nihil heic de donationibus in alios praeter libertos collatis. Eadem sententia fuit *Veteri Scholiastae*, qui ad citatum textum *Βασιλικῶν* apud FABROTVM *Tom. VI. p. 232. fin.* ita scribit: Si patronus liberos habuerit, ad eum reuertuntur, quae LIBERTO donata sunt. Memineris primae Constitutionis huius tituli. haec uero prima tituli istius constitutio eadem est cum *L. 1. C. de reuoc. donat.* ubi similiter de reuocatione non omnium, sed illarum duntaxat donationum agitur, quae in libertos factae sunt. Vnde haut obscure colligitur, *Scholiasten* illum *Legem. si unquam. 8. cum L. 1. C. de reuoc. donat.* coniungendo, indicare, quod sicuti *Lex. 1.* ita etiam *L. nostra. 8.* tantum ad largitiones, in libertos collatas, pertineant. Sic etiam in *Ecloga Βασιλικῶν Lib. II. Cap. VIII.* nostra *L. si unquam. 8.* ad donatarios libertos restringitur. Neque *Saeculo XIV.* alia mens fuit CONSTANTINI HARMENOPVLI in *Promptuario Iuris Lib. III. Tit. 2.*

§. XLII.

§. XLII. Neque aliter Legem nostram interpretatus *Item Saec.*
 est AZO, antiquus Iuris Iustiniani Glossator, qui ex- *XII. apud*
 unte *Saec. XII.* floruit, et quo *post ius civile renouatum ne-*
Consultos
in Italia,
mo maiore cum laude, atque hominum admiratione in iuris di-
sciplina uersatus est, uti de illo scribit CAR. SIGONIUS
Histor. Bononiens. Lib. IV. in fin. Ille enim AZO in *Summa*
sua Lib. VIII. tit. 56. Legem nostram. 8. ad donationes, in li-
bertos factas, restringit, ac citato loco argumentum Legis
1. et. 8. C. de reuoc. donat. ita expromit: Donat igitur quis,
aut LIBERTO, aut extraneo. Si LIBERTO, reuocatur donatio
sola ratione obsequii non praestiti. Item (quod mirabile est)
reuocantur emta ex pecunia donata, ut in L. 1. b. t. Reuocatur
etiam donatio tota propter liberos susceptos a PATRONO, uti
L. 8. b. t. ALIAS autem totum non reuocatur L. 5. C. de inoff.
donat. Utinam ergo ACCVRSIUS Azonis, Praeceptoris sui,
uestigia in huius Legis enucleatione pressisset, neque hanc
ipsam Constitutionem ad donationes, ingenuis factas, tra-
xisset, eodemque modo, ueluti in sequentibus dicitur, se-
quioris aeni ICTis errandi occasionem praeuisset.

§. XLIII. Sunt, qui inter Ius Canonicum et Civile *Nostra in-*
terpretatio
confirmat-
ur in Iure
Canonica.
 Rom. quantum ad casum nostrae *Legis. si unquam. 8. atti-*
 net, differentiam constituunt, et secundum *hoc retracta-*
 tionem donationis ob superuenientiam liberorum *licitam,*
 secundum *illud* uero scil. Canonicum, illicitam esse opi-
 nantur. Ast, sicuti certo certius est, quod Iure Canoni-
 co ob *can. 43. Caus. XVII. qu. 4. a nobis iam aliquoties ci-*
 tatum, et supra expositum, in uerbis: *In potestate habe-*
bat non reddere iuri fori, seu humano et promiscuo, donatori,
 qui postea liberos suscepit, ius perfectum et actio reuo-
 candi negetur. Ita etiam ex iis, quae §. XIV. *sqq. praef.*
Cap. copiose disseruimus, liquidum redditur, quod etiam
 secundum Ius *Ciuile* donatori ob superuenientiam libero-
 rum

rum donationem integram reuocandi potestas denegetur, et *L. si unquam. 8.* non nisi ad largitiones, in *libertos* factas, pertineat. Quod si uero *fingeremus* et uel maxime dissentientibus nostris *concederemus*, Iure *Ciuili* ob liberorum agnationem non modo *patronorum*, sed etiam *aliorum* donationes posse reuocari; Tamen nostra sententia, qua causam illam retractandi ad donationes, in *ingenuos* collatas, pertinere negauimus, adhuc in foro esse praeferenda et obseruanda, ex hac scil. quod eadem in Iure *Canonico*, citato nim. *can. 43.* approbetur, et quod etiam in Protestantium foris Iuri *Ciuili* Roman. *praeualeat* uti Ius Can. in genere, ita etiam *GRATIANI* Decretum, quoties nempe (uti in praesenti casu de reuocatione donationis) non fluit ex principiis, uel a Nostratibus reiectis, uel cum statu Ecclesiarum nostrarum pugnantibus. uid. *Illustr. THOMAS. in Cautel circa Praecognit. Iurispr. Eccles. cap. XXI. et XXII.* itemque *Illustr. BOEHMERVS in Iur. Eccles. Protest. Lib. I. Tit. 3.*

In Iure Germanico nihil deprehenditur, quod nostrae sententiae obstaret.

§. XLIV. In ueteri Iure *Germanorum*, speciatimque in *Speculis Iuris Saxonici* et *Sueuici*, nihil quidquam deprehenditur, quod nostrae sententiae obstaret. Et qua, quae-
so, ratione donatori conuentionem infringendi, et donationes ob liberorum superuenientiam reuocandi facultatem concedere potuissent Germani, quibus nihil prius, nihilque antiquius erat, quam fidem semel datam, licet superueniente casu quopiam, diligentissime custodire, promissaque seruare? Qui omnibus mortalium, uti *armis*, ita etiam *fide* praestabant? *TACIT. Annal. Lib. XIII. cap. 45.* Qui in fide praestanda adeo tenaces erant, ut eandem, licet cum omnium bonorum, et libertatis iactura coniunctam, uiolare dubitauerint? *TACIT. de Morib. German. cap. XXIV.* Qui munera, a se data, ne *imputabant* quidem, nedum

nedum penitus praetextu quopiam *rouocabant*? TACIT.
cit. Libr. cap. XXI. Quorum in promissis explendis con-
 stantiam aureae illae paroemiae: *Ein Wort/ ein Wort:*
Ein Mann/ ein Mann: Ein Wort so gut als zehen:
Was der Mann gelobet / soll er SEES halten: et
 huius generis aliae, clare loquuntur? IVS. PROV. SAX.
Lib. I. Art. 7. IVS. PROV. SUEVIC. *Cap. XII.* Pudeat ergo
 ex Nostratibus illos, qui ob liberorum superuenientiam
 donationes, in ingenuum collatas, ex *Vsu iudiciorum* Germ.
 retractari posse defendunt, ita ineptiuisse, et ab integri-
 tate Maiorum nostrorum adeo defecisse, ut donationis re-
 scissionem hoc in casu pro aequa haberent et licita; cum
 tamen eandem ne *Romani* quidem concesserint, qui cete-
 roquin in conquirendis effugiis ad conuellendas conuen-
 tiones parum erant difficiles.

§. XLV. Sed nescio tamen, quo fato euenerit, ut *Longobardi*
tamen Saec. VII. ob su-
peruenienti-
am libero-
rum
donationes,
etiam in in-
genuos col-
latas, ius re-
uocandi
confirma-
runt.
Longobardorum gens, (quae tamen uti GYNTHERVUS in
Ligurino Lib. II. uers. 131. canit:

Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,
Prouida consilio, legum iurisque perita.)

ex causa liberorum, donatori postmodum adgnatorum,
 donationis retractationem permiserit. Liberorum enim
 superuenientiam pro legitima causa, largitiones, ab orbo
 factas, reuocandi haberi iussit Rotharis Rex in peculiari
 Constitutione circa A. C. 637. quae inter LL. *Longobardo-*
rum Lib. II. Tit. de success. XIV. Leg. 13. apud LINDEN-
 BROGIVM p. 604. hisce uerbis habetur: *Si quis despe-*
rauerit propter senectutem, aut aliquam corporis infirmitatem,
quod filios non possit habere, et res suas alii thingauerit: postea-
que eum contigerit filios legitimos procreare, omne thinx, quod
est donatio, quae prius facta est, rumpatur, et filii legitimi,
unus aut plures, qui postea nati fuerint, heredes patri in omni-
bus

bus succedant. Si autem filiam legitimam unam aut plures, seu filios naturales unum aut plures post thinx factum habuerit, habeant et ipsi legem suam sicut supra constitutum est, tanquam si nulli alii thingatam fuisset: et ille, cui thingatam est, tantum habeat, quantum alii parentes proximi debuerant habere, aut curtis regia suscipere, si alii thingatam non fuisset. Videtur hanc Constitutionem Rotharis Rex non tam ex uetustioribus Longobardorum scitis petiisse, quam potius ex Aniani Breuiario Codicis Theodosiani, in quo (ueluti supra §. XL. dictum) reuocatio donationis, ab orbo factae, ob superuenientiam liberorum, perinde uti in ipsa *L. si unquam. §. 8.* ad patronorum largitiones restricta erat, mutuum esse, et uel ob illum Aniani locum male intellectum, uel, quod similius ex fucata quadam aequitate, quam ipse de isto reuocandi modo in animo conceperat, porrexisset uidetur. Ast, quidquid demum sit de hac Lege Longobardica, eiusque rationibus, tamen eadem nihil ad nos pertinet, quia lata est ferme septuaginta annis post, quam Longobardi in Italiam uenerunt, eamque ob causam Iuri Italico potius, quam Germanico, accenseri debet.

Hoc tamen iure nos non obligamur.

CAP. III.
DE VSV NOSTRAE SENTENTIAE,
QVA LEGEM. VIII. C. DE REVOC. DONAT. AD
DONATIONES, IN LIBERTVM COLLA-
TAS, RESTRINGENDAM ESSE, IN
CAP. ANTEC. PROBAVIMVS.

CONSPECTVS

Ratio, cur hic etiam respondeatur ad posteriores dissentientium obiectiones. §. I.

Communis opinionis, legibus et rationi contrariae, nullam rationem habendam esse demonstratur, et dubia dissen-

dissentientium diluuntur. §. II. §. III.

§. IV.

Usum fori, seu obseruantiam nostras interpretationis neutiquam, neque ulla ratione officere posse usque ad §. IX. comprobatur. §. V.

Concluditur modum donationes ex L. 8. renocandi apud nos nullum ha-

bere usum. §. X.

Catalogus quaestionum otiosarum, earumque a DD. ad L. si unquam. 8. uentilatarum exhibetur. §. XI.

Ostenditur opinionem dissentientium confirmatam esse in iure Wirtembergico. §. XII.

§. I.

Restat, ut praesenti loco etiam *usum* nostrae sententiae, quam in *super Cap.* adstruxi, ostendam, ac praecipue respondeam ad rationes Dissidentium *postiores*, quas nempe (ueluti *supr. Cap. II. §. XVIII. et XIX. retuli*) a *communi opinione* et *fori usu*, sibi patrocinante, desumunt. Equidem harum obiectionum resolutione commode possem superfedere, si res mihi esset tantum cum Viris Doctis et Ictis cordatis, siue talibus, qui non tam aliorum auctoritate, quam argumentorum ponderibus mouentur. Sed quia tamen uereor, ne eadem haec Dissertatio incidat etiam in manus *Rabularum*, quorum profecto hodieque magna copia superest, et qui omnia ea, tanquam *subtilitates* in foro inutiles, superciliose contemnunt, quae communi opinioni, et obseruantiae (quam uocant) repugnant; Idcirco in *horum* gratiam de auctoritate communis opinionis et obseruantiae, eiusque legibus contrariae, heic non nihil differendum existimaui.

§. II. Profecto autem *bina* ista fundamenta, a *communi opinione* et *usu fori* petita, adeo infirma sunt, ut illi qui praesidium suarum hypothesium in illis unice quaerunt, ualde lubrico fundamento nitantur. Vbinam enim, quaeso, iudices uetantur in dirimendis litibus a *communi DD. opinione* recedere? Tenentur iudices pronunciarum secundum iura, *pr. Inst. de Offic. Iud. L. 13. C. de sentent. et in re locut. can. 3. distinct. 4.* ergo non secundum communem

Do-

*dubia dis-
sentientium
diluuntur.*

Doctorum opinionem. Aut enim haec, uel illa DD. opinio legibus *consonat*, aut uero iisdem *aduersatur*: Si conuenit Legibus, superuacaneum est, ad communem opinionem prouocare. Vnde in magno illi errore uersantur, qui aliquot Doctores pro sua sententia adducere, uel legem testimonio Ictorum communire malunt, quam soli iuri aperto inhaerere. Quasi uero sanctissimae Leges ui obligandi carerent, nisi accederet autoritas Doctorum. Quantum uero ad alterum casum attinet, ubi DD. opinio iuri *aduersatur*, illa perperam huic praefertur et potius erronea semper censenda erit. Si enim contra leges scriptas, uel illarum rationes ne *consuetudo* quidem ualet, (uti est in *L. 2. C. quae sit long. consuetud.*) certe contra easdem multo minus ualebunt *Doctorum opiniones*. Ipse IVSTINIANVS in *L. 1. §. 6. de concept. Digest. et L. 1. §. 6. C. de Veter. Iur. Erucl.* perspicuis uerbis sancit: *Non ex multitudine Auctorum, quod melius et aequius est, iudicandum esse, cum possit unius forsitan et deterioris sententia et multas et maiores in aliqua parte superare.* Neque etiam, uti SENECA de *uita Beata cap. 2.* ait, *tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, sed argumentum PESSIMI TVRBA est.*

§. III. Praeterea uiro sapienti *auctoritatis* praeiudicium, tanquam cane et angue peius, fugiendum est. Communis autem opinio nihil aliud est, quam foetus istius praeiudicii. Germani in subsidium receperunt *Ius Iustinianeum*, non uero etiam Ictorum, qui ius istud interpretati sunt, *opiniones*. Peritis in arte creditur quidem, sed eatenus tantum, quatenus illos errasse non apparet. Vbi uero error manifestus est, simul quoque eorum fides et auctoritas conuelluntur. Tum demum perfectior habenda ueritas a multis, quam a paucis prolata, si *factum*
dubium

dubium probandum, non uero etiam, ubi de genuino *legum* sensu quaeritur: quemadmodum de hoc posteriori casu *L. fin. C. de fideicommiss.* neque loquitur, neque de illo, nisi inconuenientissime, intelligi potest. Plurium quidem sententia, uel iudicium ueri quandam similitudinem habet, sed haec probatione contrarii eliditur. Et, si uel mille homines testentur esse uerum, quod falsum est, tamen per hoc ueritati nullum fit praecudicium, neque falsum illud uerum efficitur. ICris, leges interpretantibus, eatenus fides habenda, quatenus illorum explanationes regulis hermeneuticis conueniunt. Et sententias Doctorum non numerari, sed ponderari decet. Veterum autem ICtorum sententiae, in corpus iuris relatae, non ui propria obligant, tanquam *opiniones* plurium, seu communes, sed tanquam *leges*, ui quippe obligandi a Iustiano donatae, qui omnia sua fecit. *Constit. DEO auctore §. 6. Concept. Digest.* Multum sane interest, utrum a priuato approbetur, an a Legislatore confirmetur communis opinio. Et quis nescit, ICtorum ueterum Rom. auctoritatem longe diuersam fuisse ab auctoritate ICtorum modernorum? Illorum responsa et interpretationes constituebant iuris speciem, adeo, ut iudici a talibus responsis non liceret recedere; §. 8. *Inst. de Iur. Nat. Gent. et Ciu. Constitut. THEODOSII* et VALENTINIANI Impp. in *L. un. Cod. Theod. de responsis prudent.* Sed his ICris IVSTINIANVS talem potestatem penitus ademit *Constit. DEO auctore §. 12. de Concept. Digestor.* Olim et ante Iustiani aetatem sententiae, unanimi consensu ICtorum, quibus de iure respondendi ius erat, approbatae, dicebantur receptae, et uim iuris obtinebant, arg. *L. 215. de Verb. Oblig. L. 3. C. in quib. caus. L. 41. de reb. cred. L. fin. pro legat. L. 32. de Oblig. et Act. uind. BRISSON. de Verb. Signif.*

uoc. receptum. atque ubi diuersae Iurisperitorum sententiae extabant, *ex cit. Constitutione Theodosii in L. un. C. Theodos. de Resp. Prudent.* illa praeferebatur, quae numero consentientium caeteras uincebat. Ast ubinam, quae, a Iustiniano, iisque temporibus, quae huius aetatem exceperunt, tale quid ICris concessum legitur? *uid. Conslit. de Concept. Digestor. §. 12. et L. 1. §. 6. C. de Veter. Iur. Enucl.* Igitur magnopere falluntur, qui leges Digestorum et Codicis, illa ueterum Iurisperitorum in iure respondendo autoritate locutas, accommodant nostris etiam ICris, quorum tamen longe diuersissima est conditio et autoritas. Hi enim, ueluti dixi, tantummodo facultate *secundum leges* iudicandi, easdemque interpretandi, gaudent; et quidem secundum regulas hermeneuticas, neutiquam uero etiam habent *LLes ferendi*, aut immutandi potestatem, utpote quae non *privatis*, quibus tamen sola obsequii gloria relicta est, sed *summae* in rep. *potestati* competit.

§. IV. Ceterum plurimi, cum genuinis causas controuersas disceptandi fundamentis destituuntur, prouocant ad testimonia et sententias ICtorum *probatorum*, seu *Classicorum der bewährten Rechts-Lehrer*. Sed quoniam sunt *die bewährten Rechts-Lehrer* / et quibusnam demum coloribus ab aliis diiudicentur? non solum difficile est, definire, sed omnino fieri nequit; nisi Principis autoritas accesserit. Cum igitur adeo incertum sit, quae tandem opinio nomen *communis*, seu a pluribus DD. approbatae mereatur, et praeterea nuspian in iure tanquam fundamentum casus decidendi praescribatur communis opinio, ita etiam frustraneum est, ad illam prouocare. Et, si sequi iuberemur Doctorum opiniones (quas *Vir Summus, COCCEIUS*, recte ignes fatuos appellare solebat) profecto nihil certi, nihilque solidi in toto iure habere-
mus.

mus. Vix enim in iudiciis ullus casus disceptatur, de quo utraque pars Patronos et Autores suae sententiae facile inuenire non posset. *Vid. querelae HIERONYMI de CAEVALLOS in Praefat. Speculi Commun. Opin. contra commun. HOTOMANNI in Anti-Triboniano cap. XIV. apud Dn. STRVVIVM in Histor. Iur. Cap. VI. §. 4. p. 556. sq.* Quare hoc inconueniens iam datum plerique ex ICTis uetustioribus uidentes ingenue fassi sunt, opinionum licet communium nullam prorsus rationem habendam esse, ubi a legibus, uel ratione deflectunt. *uid. WESENBEC. Consil. 1. n. 17. SCHVLZ. in Synops. Instit. tit. de obligat. quae ex quasi delicto. lit. a.* Vnde patet, ex nostratibus etiam ICTis illos, qui ad Doctorum opiniones, LLibus, aut rationi repugnantes, prouocant, magis uituperandos esse, quam ueteres illos, qui nequitiam tam crasse philosophati sunt, licet ceteroquin genuinis iura interpretandi subsidiis haut adeo instructi essent, inque talia tempora incidissent, in quibus adhuc insigni barbarie iurisprudentia laborabat. Praeterea ipsa Collegia Iuridica in casibus innumeris ab opinione, quam antea communem credebant, discessionem fecerunt, ubi eandem, uel iuri, uel rationi repugnareprehenderunt. Quod si uero communis opinio nim legis haberet, illis non licuisset uel in unico casu ab eadem recedere; sin uero, quod haecenus demonstratum est, ui obligandi destituitur, ecurr iudices non semper eandem, si erronea est, repudiant? Alias enim dicendum esset, quod iudices arbitrium habeant pro Titio, amico suo, sic, pro Meuio autem, cui non fauent, in pari casu, aliter pronunciandi: quo tamen iudicandi arbitrio nihil in republ. excogitari potest perniciosius. Ceterum licet ego, ut uerbis utar acutissimi ICTi, VLDAR. ZASII in Comment. ad §. 5. I. de Action. n. 28. in nullius uerba iurauerim, a nullius

lius fune pendeam, sed securus huius uel illius opinionis id se-
quar, quod mihi in ratione et legibus fundatum uidetur, ac
 propterea non Auctorum consentientium numero, sed ar-
 gumentorum ponderibus mouear, ne tamen illis, qui alio-
 rum opinionibus tenacius, quam muscae pici, inhaerent, et
 omnia, quae Carpzouii sui traditis repugnant, reiicienda pu-
 tant, noua et temeraria uideatur sententia mea, qua causam
 donationes ex L. 8. C. de Reuoc. donat. retractandi ad solas
 largitiones, in *libertos* collatas, pertinere adstruxi, idcirco
 in illorum gratiam Doctores aliquot, quos nostrae sententiae
 fauere deprehendi, heic adducam. Sentiant autem
 nobiscum ex uetustioribus GLOSSATORES *Iuris Can. in c.*
ult. Caus. XVII. qu. 4. et in cap. ult. X. de donat. INNOCENTIVS,
 ODOFREDVS, CYNVS, GVILIELMVS de
 CVNEO, RAPHAEL, SALICET, BALDVS, BALDVS, ALEXAN-
 DER, aliique apud TIRAQVELLVM *Tom. VI. Opp. p. 60.*
n. 26. et p. 64. n. 40. PHILIPPVS CORNEVS *Lib. III. Cons.*
4. SOCINVS *Lib. IV. Consil. 53.* CORASIVS, *Curiae Tho-*
losanae Senator, Epistol. cap. XXX. et Lib. VII. Miscellan. cap.
XXX. n. 3. (De hoc Corasio scribit MAYNARDVS *Lib. IV.*
Decis. Tholosan. XII. illum eandem, quam nos adstruximus,
 sententiam, in praelectionibus suis ad L. *si unquam.* qui-
 bus ad minimum 4000. Auditores interfuerint, ma-
 scule propugnasse. Si igitur Auditores isti *quater mille,*
 quod uerosimillimum est, Praeceptoris sui sententiam ar-
 ripuerunt, nostra interpretatio dici posset, contrariam o-
 pinionem etiam numero consentientium superare. Sed
 haec obiter: non enim a multitudine consentientium au-
 ctoritatem nobis arcessimus) Ex recentioribus autem ean-
 dem nobiscum interpretationem *Legis. si unquam.* appro-
 bant CONNANVS *Lib. V. Commentar. cap. XX.* DONEL-
 LVS *Lib. XIV. Commentar. cap. 32.* HOTOMANNVS *Lib. 1.*
Ami-

*Amicab. Resp. cap. 12. et Lib. XII. Obseru. XI. itemque in
dissert. Iur. Ciu. de legitima cap. V. ANTON. FABER. Lib.
VII. Coniectur. Cap. XIV. et XV. WESENBECK. ad Digest.
tit. de donat. in fin. BACHOVIVS ad Treutl. Vol. II. disp. XIX.
§. 7. lit. E. p. 121. sqq. ARVMAEVVS Disp. XIX. ad Digest. §. 8.
FRANZKIVS Exerc. V. quaest. X. IAC. GOTHOFRED. ad
L. 3. Cod. Theodos. de reuoc. donat. VINNIVS ad §. 2. Inst. de
donat. et Lib. II. Select. Quaest. 32. LYDWELL. ad Inst. disp.
VI. §. 10. ANTON MATTHAEI ad Inst. Disp. IV. §. 25.
WISSENBACH. ad ff. Part. II. disp. XVI. §. 14. BALTHA-
SAR Pract. Resol. Part. 1. Resol. XIII. n. 4. THOMASIVS in
Dissert. de Legitima uiuentis. §. 11. et 12. Id. in not. ad Digest.
tit. de donat. p. 306. et in Dissert. de rite formando statu Contro-
uersiae: An legum iuris Iustiniani sit frequens usus etc. §. 40.
p. 93. sqq. HVBER. in Praelect. ad Insti. tit. de donat. n. 7.
GERHARD van NOODT in Commentar. ad Digest. tit. de
Legibus p. m. 23. Credo, numerum consentientium ualde
adhuc augeri posse, sed religioni mihi duco, plures inue-
fligando tempus inaniter consumere. Sufficere haec
possunt ad confirmandum ea, quibus fere de qualibet
thesi iuris uarias, easque sibi contrarias Doctorum sen-
tentias dari, adstruxi in antecedentibus.*

§. V. Ceterum non est, cur dissentientes adeo praesertim ^{usum fori,}
clara sibi polliceantur ab ^{seu obser-}usu fori, seu obseruantia Iudicum,
ac Collegiorum Iuridicorum, quam a suis partibus stare ^{uantiam}
non modo ipsi contendunt, uerum etiam nonnulli ex il-
lis, quas in §. proxime anteced. pro nostra interpretatione ^{nostrae in-}
laudauimus, largiuntur. Etenim obseruantiam, seu praesertim ^{terpretatio-}
xin iuridicam praesentem, usumque recentem, seu mo-
dernum, quem ex praecidendiis, siue rebus iudicatis colligi ^{ni neutri-}
uolunt, quamdiu legitima consuetudinis requisita defici-
unt, nullatenus *uim iuris* habere, nedum iura immutare ^{quam offe-}
possent. ^{usque ad}
^{§. IX. com-}
^{probatur.}

posse, iam pridem a cordatioribus aevi nostri ICtis (Inprimis a *Viro Celeberrimo* DN. GRIEBNERO in *aurea Dissert. de Observantiis Collegiorum Iuridicorum*, ubi etiam per quam plurimos errores, quos communis Doctorum schola de usu fori fouet, denudat atque refellit) firmissimis argumentis euictum est: quanquam non pauci adhuc dum malint in luto haerere, et ad ipsum solem caecutire. Interim si coniecturis rem assequor, error ille, quo dissentientes nostri extensionem *Legis. s. unquam. s. ad donationes*, in ingenuos collatas, sine ulla ratione propugnant; atque secundum isthanc, ne obstante quidem, quod eadem iuri scripto, rationi et genuinae legum interpretationi aduersetur, in foris iudicandum esse defendunt, originem suam debet *Accurso* et caeteris *Glossatoribus*. Postquam enim hi aequitatem fucam de *Lege nostra. s. in animo suo* conceperant, ac propterea genuinae Legis istius rationi ignari eandem Constitutionem ad *quorumlibet*, liberis orborum, donationes traxerant; ICti Itali, qui Glossatorum aetatem excipiebant, speciatimque *Barolus, Iason, etc.* sicuti, fere in uniuersum, Glossatorum sputa lingebant, eorundemque notas in Ius Ciuile ipsis legibus *praeualere*, ac praeterea ultra Glossam sapere, flagitiosissimum esse credebant; ita etiam erroneam *Legis nostrae. s. interpretationem*, atque extensionem coeco obsequio amplectebantur, et secundum illam casus, in foro obuientes, exacte dirimendos esse inculcabant. Mouebantur tamen huc alio argumento isti DD. propter quod Glossae interpretationem in casu *cit. Legis. s. arriperent*; uidelicet *iure Longobardico*. Cum enim Lege Rotharis, quam *supra Cap. II. §. fin.* exhibuimus, donationum retractationem ob superuenientiam liberorum *cuiuslibet* donatori, orbo, ac postmodum liberis aucto, concedi intelligerent; idcirco recte qui-

quidem de *Italiae suae* foris docebant, in his illam obseruandam esse sententiam, quae *cuiuslibet* donatori orbo, facultatem largitiones ob liberos, postmodum agnatos, reuocandi, permittit. Sed in eo tamen turpiter errabant, quod, sicuti in plerisque iuris capitibus, nimio quippe Legum Rom. amore excaecati, leges illas cum iure domestico, siue Longobardico, et quidem ut plurimum sine ratione commiscere, ac conciliare studerent, ita etiam in casu *Legis nostrae*. §. utrumque ius, Rom. scil. et *Longobardicum* et crederent, et docerent, inter se amice conspirare. Cum igitur, Bartoli aliorumque Ictorum Itolorum doctrinam, qua interpretatio *Legis*. §. *extensua* in foris Italiae obtinere dicebatur, ICTi Germ. ueteres uiderent, in istius doctrinae fundamentum praecipuum, quod nempe consistebat in iure *Longobardico*, parum inquirentes, Doctorum istorum tradita pro more suo, fideliter, et sine omni iudicio, exscribebant, atque hoc modo incautis persuadebant, *HODIE* ex *VSVFORI*, Bartoli auctoritate subnixo, etiam in *Germania*, omnibus donatoribus orbis licere, donationes ob adgnationem liberorum retractare. Ea enim temporum illorum erat infelicitas, ut ICTis German. quantum praeceptum uiolare uiderentur, quotquot a *Bartolo*, potentissimo illo iuris Monarcha, eiusdemque sequacibus, uel latum unguem recedere auderent, et ICTorum Itolorum sputa lingere dubitarent. Atque hac ratione factum est, ut a ICTis nostratibus doctrina ista de licita extensione *Legis*. §. ad donatarios *ingenuos*, tam uera crederetur, ac si extripode esset prolata. Accedebat etiam autoritas *Ripae*, *Tiraquelli* et *Molinaei*, qui uulgatam illam opinionem in uastis uoluminibus propugnauerant, eamque incredibili Doctorum, idem sentientium, agmine munuerant: Contra tot igitur Heroas uel hiscere, delictum

ctum uidebatur tam atrox, tamque nefandum, quod nulla ratione posset expiari.

§. VI. Quid ergo? Numquid nos, qui ex Summi Numinis beneficio in meliora tempora incidimus, Maiorum errores, uti grus gruem, sequamur? Numquid nos obligemur Iure *Italico*, Germanis nunquam promulgato? Ais: pro ea tamen sententia, quam nos in praesenti Dissertatione profligauimus, multoties in Collegiis Iuridicis esse pronuntiatum. Sed quid tum? Fingamus licet, hoc factum esse, tunc uero ignoras, haud spectandum esse, quid Romae fiat, sed quid fieri debeat? *L. 12. de Offic. Praesid.* Si Iudex uel centies iudicat contra leges, uel rationes legum, centies iniuste iudicabit. Iniustae autem sententiae non faciunt nouam speciem iuris, nisi inter eos, inter quos sic iudicatum est, idque tantum ex natura rei iudicatae. *L. 63. de Re iudic. L. 2. C. quib. res iudic. non noc. Confer. IVL. CAPITOLINVS in uita Macrini Imper. cap. XIII.* Iudices tenentur iudicare iuxta leges, non autem ex arbitrio *Nou. 82. cap. 3. can. 3. distinct. IV.* neque secundum *praeiudicia*. Audi, quaeso, quam seuerè IVSTINIANVS prohibeat, ne Iudices res antea iudicatas, easque iuri, aut rationi aduersas, sequantur. Ita uero Sacratissimus Imper. in *L. 13. C. de Sentent. et Interloc.* Nemo, inquit, *Iudex uel arbiter existimet, neque consultationes, quas non rite iudicatas esse putauerit, sequendum et multo magis sententias eminentissimorum Praefectorum* (Ergo ne summorum quidem tribunalium praeiudicia, ubi iuri aduersantur, sequi permissum est Iudicibus) *uel aliorum Procerum* (non enim si quid bene dirimatur, hoc et in aliorum iudicum uitium extendi oportet, cum NON EXEMPLIS (seu praeiudiciis) SED LEGIBVS iudicandum sit) *neque si cognitionales sint amplissimae Praefecturae, uel alicujus maxi-*
ximi

ximi Magistratus prolatae sententiae: SED OMNES IUDICES NOSTROS VERITATEM, ET LEGVM ET IVSTITIAE SEQVI VESTIGIA SANCIMVS. Vt nam quoque iidem, qui praeiudicia Collegiorum Iuridicorum iuri, eiusdemque rationi, praeferunt, memores essent dictorum CELSI in *L. 39. de LL.* Quod, iniquentis, non ratione (i. e. rationabili interpretatione) *introducunt, sed errore* (seu erroneo intellectu) *primum, deinde consuetudine* (seu continuata obseruantia iudiciali) *obventum est,* (nullum ius facit, et) *in aliis similibus non obtinet,* (i. e. errore cognito a consuetudine et obseruantia illa recedendum.)

§. VII. Si praeiudicia, seu res, in Collegiis Iuridicis iudicatae, *legum uigorem* haberent, Iuris nostri prudentia profecto nihil aliud esset, quam rudis indigestaque congeries Dogmatum, nulla ex parte sibi constantium, neque in illa posset certi quidquam deprehendi. Non enim sufficeret, si uel omnes iurium, quibus Germani utimur, Codices accurate intelligas, sed praeterea practicorum (quos uocant) scripta omnia auide coemere, et caput ferreum ad edificandum Decisionum summulas parare, neque minus ita per omnem uitam tuam, licet Nestoream aetatem attingeres, diu noctuque inuestigandis et colligendis praeiudiciis incumbere deberes. Quae omnia, si uel maxime summis laboribus praestiteris, nihil tamen aliud haberes, quam confusum chaos et ius minime cohaerens, sed omnium incertissimum. Deprehendes enim in hoc Collegio sic, in aliis aliter, et pro temporum uarietate uarie de eodem casu iudicatum esse. Vnde quid sequaris, et cui decisioni fidas, nescies. *Rabulae* quidem hodiernum solis praeiudiciis nituntur, sed *ipsa Collegia Iuridica* eorum auctoritate recentioribus temporibus

poribus parum mouentur. Abunde haec comprobare possunt DOMINI PRAESIDIS *Observationes Forenses*, quas praecipue eum in finem cum orbe erudito communicauit, ut inde patefcat, Collegia Iuridica, quae in hac Leucorea florent, sententiis Antecessorum neutiquam adhaerescere, sed casus, sibi oblatos, ex genuinis decidendi rationibus, legibus quippe et legum argumentis dirimere, usum fori autem, nisi in legitimam consuetudinem, quod raro accidit, transferit, insuper habere; praefertim, si eundem omni fundamento et ratione destitui intelligant. Et, licet in sententiis suis nonnunquam usus forensis mentionem iniiciant, non tamen hoc pacto obseruantis iuris autoritatem concedunt, sed illas tantum eum in finem commemorant, ut partium Aduocati, qui ut plurimum non tam rationibus, quam praeiudiciis mouentur, eo facilius adquiescant sententiae, quam non legibus solum et rationibus munitam, sed praeiudiciis quoque illustratam perspiciunt. Falluntur ergo Aduocati, qui dum in sententiis praeiudicia, seu res antea iudicatas uident laudari, sibi et aliis persuadent, tantam esse uim obseruantiarum, ut ipsis etiam legibus, aut legum rationibus praeualeant, et quod sufficiat, si sciunt, in hanc uel illam sententiam hunc uel illum casum in Collegiis Iuridicis esse diiudicatum, licet, num *bene*, an *male* iudicatum sit, ignorent. Immo ab inepto illo errore de obseruantiarum autoritate quoslibet auocare posset uel hoc argumentum, quod ne ipsa quidem Collegia Iuridica praeiudiciis suis inhaereant, sed eadem, quoties genuinis rationibus destitui deprehendunt, lubenter deserant. Quod si itaque praeiudicia iuris uigorem haberent, ab illis nunquam recedere deberent Collegia Iuridica, utpote quae solummodo secundum leges iudicandi,

di, itemque iura interpretandi, non uero etiam mutandi, abrogandi, uel noua iura introducendi potestate gaudent. Memini cuiusdam, qui cum aliis, Collegiorum praeiudicia usque adeo ualere, ut iuri etiam expresso derogent, esset persuasurus, hac potissimum ratione utebatur, quod laudatis Collegiis a Principe arcanae leges, caeque iuri communi aduersae, praescriptae sint, secundum quos casus, ipsis oblatis, dirimere deberent; Atque ita, pergebat, obseruantias nihil aliud esse, quam sententias, ad normam formularum istarum prolatas. Sed ô acutum illum Philosophum! Leges, non promulgatas, ciues ad obsequium obligare, quod scio, hactenus nemo, nisi homo sensu communi penitus destitutus, affirmauit. Ceterum autoritas illa, qua uulgus Doctorum praeiudicia, seu obseruantias pollere credit, tantum abest, ut approbata et confirmata appareat a Legislatoribus, ut contra hi Iudicibus seuerè prohibuerint, ne exemplis, seu praeiudiciis inhaereant, ubi illa iuri parum conuenire intelligerent. De *L. 39. de LL. et L. 13. C. de sentent. et interloc. supra iam in §. proxime anteced. dixi.* De Saxonia autem Electorali praeter alias Constitutiones, in quibus subinde usus fori, legibus contrarius, improbatur, habemus RESOL. GRAV. de A. 1661. *Tit. von Justitien: Sachen §. 49. uerb: So ordnen und setzen wir hiermit / befehlende / daß kein Collegium Iuridicum Macht haben soll ex interpretatione einige Obseruanz zu machen. etc.* et POTENTISSIMI REGIS NOSTRI *Rescript. de A. 1712. d. 4. Aug. apud Excellent. Dn. GRIBNERVM in Dissert. de Praeiuicio Principis Imper. ex abusu Iuris Iustin. cap. III. §. 2. p. 44.* Wie wir aber der gleichen eigenmächtige Interpretation der Landes-Gesetze (i. e. obseruantiam, seu interpretationem usualem regulis interpretationis doctrinalis, quae ad Iudices et ICTos pertinet

tinet, parum conuenientem) NB. zu verstaten keines weges gemeynet / und daß es bisshero geschehen / umb so viel mißfälliger empfinden; da etc. etc. vermöge des §. 49. der neuen Erledigung tit. von Iustiz-Sachen / die Obseruantien aus dieser / oder jener NB. angemassen Erklärung der Constitutionen, Landes- Gerichts- und Pollicey-Ordnung NB. deutlich untersaget worden. etc.

§. VIII. Obiiciunt autem nobis superstitiosi obseruantiarum patroni et amplificatores, in ipsis Legibus Imperii multoties prouocari ad consuetudines, seu obseruantiam. Sic in ORDINAT. CAMER. de A. 1555. Part. I. Tit. LVII. et Part. I. Tit. XIII. §. 1. R. I. de A. 1621. REC. IMPER. de A. 1654. §. 105. ORDIN. IVDIC. IMPER. AVL. Tit. I. Assessores summorum Imper. tribunalium iuberi, ut sententias ferant nach redlichen Erbaren Ländischen Ordnungen / Statuten und NB. Gewohnheiten / die vor sie gebracht werden. Sed adeo falsum est, quam quod falsissimum, quod sub nomine derer Gewohnheiten ibidem intelligantur *Obseruantiae*; Vocabulo enim illo, ueluti a Viris Doctis dudum comprobatum est, indicantur, cum consuetudines *extraiudiciales*, quae cum obseruantis nequitiam confundendae, tum uetera *Germanorum* iura, *Specula* nempe *Saxonicum* et *Sueuicum*, utpote quae post introductum Ius Iustinianicum consuetudinum nomine designari solebant. Confer. CONRADI SINCERI *Dissert. Epistol. de Germanicarum Legum ueterum ac Rom. Iuris in reip. nostra origine, autoritate praesenti* §. 23. *ibidemque* Ill. THOMAS. in not. Id. in *Dissert. de Iure Consuetudinis et Obseruant.* §. 96. et KESTNER *Tr. de defectibus Iur. Commun. in Rep. Germanica. Problem. IV. p. 72. sqq.* Equidem in ORDIN. AVGVSTISSIMI IVDICII AVLICI. Tit. I. Obseruationum iudicialium mentio iniicitur, et Assessores iubentur: jedes
Stanz

Standes / Landes / Orths und Gerichts / sonderlich die gebührliche allegirte und probirte priuilegia, gute Ordnungen und Gewohnheiten / und in Mangel derselben die Rensert. Rechte / und NB. rechtmäßige *Observationes* und Gebräuche in acht nehmen / und nach demselben ihre Bescheide, Decreta und Urthel richten. Enimvero ipsa haec uerba, et quod *observationes iudiciales* ipsi etiam Iuri Iustiniano *postponuntur*, satis declarant, in decidendis controuersis *observationum earundem iudicialium* tum demum rationem habendam esse, ubi 1) de casu proposito, neque iura uetera Germ. neque prouincialia, neque Imperii, neque Ius Iustinianum, quidquam disponunt, ac ubi consequenter 2) illae *observationes iudiciales* iuri scripto, uel eius analogiae non refragantur, ibi: **rechtmäßig.** Ergo in citato textu excluduntur *obseruantiae*, iuribus, antea commemoratis, *contrariae*.

§. IX. Sed quominus *obseruantiarum* et communis opinionis glebae adscripti respiscant, nonnunquam *inuidia*, saepissime uero eorum *ignauia* in causa est. Ipsas *leges* cum patrias, tum peregrinas rimari, et ad illarum interpretationem subsidia necessaria, sufficientem nempe Antiquitatum Germ. ac Rom. notitiam pariter atque prudentiam politicam, asferre, nimis laboriosum illis uidentur. Quam ob rem omnia ea, quae in uulgaribus Compendiis traduntur, tam uera esse credunt, quasi ex tripode essent prolata; et, ubi forsitan *decisiones casuum* ibidem comprehensas legibus, uel ratione haud defendi posse intelligunt, ad communem opinionem, ac fori usum, tantquam ad sacram ignorantiae suae anchoram, confugiunt, atque hisce praesidiis sententiam suam contra omnes insultus defendi posse confidentes sibi et aliis persuadent, ea omnia in foro obtinere, quae in Codicibus uulgaribus docentur.

Concluditur, modum donationes ex L. 8. reuocandi apud nos nullum habere usum.

§. X. Quemadmodum uero *communis opinio* et *forti* usus nostrae interpretationi *Legis. si unquam. 8.* minime officiant, neque officere ulla ratione possunt, sic utique uera manent, et adhuc firmo talo nituntur ea, quae *supr. Cap. II.* ex instituto multis argumentis comprobauimus. Vnde nunc iterum concludo, *Legem. si unquam. 8. C. de reuoc. donat.* uti de solis donationibus, in libertos a patrono, collatis, loquitur, ita ad easdem largitiones esse *restringendam*, donatorem autem, qui non simul donatarii patronus est, hautquaquam jus ac potestatem habere donationes, citra expressam reuocandi conditionem in ingenium collatas, ex causa liberorum, post donationis celebrationem adgnatorum, *ex cit. L. si unquam. 8.* retractandi, licet orbitas, causa donandi impulsua fuerit, et donans, dum donaret, adjecerit: se propterea donare, *quod liberos non haberet, arg. L. 3. de donat.* Quam ob rem modus ille donationes *ex dist. L. 8. reuocandi apud nos* prorsus exulare dicendus est: siquidem Germani paucos immo fero nullos seruos *iuris Rom.* ac libertos habemus. Et licet infideles, a nobis capti, eodem iure, ac serui olim apud Romanos censeantur, iisdemque, e tali seruitute manumissis iura libertorum ex Iure Iustiniano adaptentur; Credo tamen casum esse uix unquam dabilem, quo manumissor huiusmodi infideli, in libertatem aserto, donaturus sit res tanti pretii, quae, liberis, postmodum patrono adgnatis, dignae essent reuocatione. Praeterea neque iis, qui serui *iuris Germ.* seu homines proprii fuerunt, et e tali seruitute manumissi sunt, *Lex nostra. si unquam.* accommodari potest, quia *horum* libertorum et *illorum*, qui e seruitute iuris. Rom. manumissi sunt, diuersa utique est conditio. Et longe adhuc inconuenientius *Lex nostra. 8.* traheretur ad donationes, a Domino feudi in *Vasallum* collatas.

tas. Licet enim apud Iuris feudalis Consultos frequens sit illatio a *libertis* ad *Vasallos*, tamen eadem, uti in plerisque aliis capitibus, ita hic praefertim titubatur. In talismodi enim donationibus, quas Vasallus a Domino feudi accepit, cessant rationes *Legis. si unquam. §. a nobis supr. Cap. II. §. III. sqq. et §. XXII.* expositae.

§. XI. Euidet igitur, quod nostra *L. si unquam. §.* ad *Catalogus quaestio-*
 donationes *patronorum* in *libertos* restringenda sit, ac pro- *num otio-*
 pterea modus largitiones ex *cit. L. retractandi in Germania sarum, ca-*
 nostra nullum habere possit usum; consequens est, ut *rumque a*
titiles et *otiosae* sint omnes illae quaestiones, quas *DD. ad L.*
ICTi, cita- *si unquam.*
iam L. §. interpretantes, circumferunt, atque in illarum *§. uenila-*
 decisione cum anxie sudant, tum etiam mirifice inter se *tarum, ex-*
 dissentiant. Haud abs re futurum esse existimo, si prae- *hibetur.*
 senti loco ex inutilibus istis quaestionibus praesenti loco
aliquot attingam, ac de illis Doctorum *dissensiones* summa-
 rim indicem. Sic I) otiosa est quaestio: an *Lex §. C. de*
reuoc. donat. etiam ad *remissiones* et *renunciationes* pertineat?
 ad quam plerique *affirmatiue*; Alii uero cum BERLICHIO
Decif. 168. n. 12. negatiue respondent. II) an ob liberorum
 superuenientiam ex *L. si unquam. §.* reuocari possint etiam
 donationes factae in *coniugem*, ex cuius matrimonio *con-*
iuu donans *liberos* postea suscepit? *Affirm.* DIONYS. GO-
 THOFRED. *ad cit. L. §. n. 44. fin. Negant* TIRAQVELL.
ad dict. L. si unquam. §. uoc. libertis n. 108--122. cum *DD.*
 ibidem adductis, et HEBERVS in *dissertatione, a nobis supr.*
Cap. II. §. XX. memorata, quaest. II. III) an reuocatio ex *cit.*
L. §. locum habeat, si donatio collata in *amicum*? *Affir-*
mat TIRAQVELL. *cit. loc. n. 92--107.* Alii uarie distinguunt
 apud Eundem TIRAQVELLVM. IV) an ob adgnationem
 liberorum retractationi obnoxia sit donatio remuneratoria?
Affirm. CUIACIVS *Lib. XX. Obseru. §.* itemque HEBERVS
cit.

cit. loc. quaest. 9. Negant TIRAQVELL. cit. Comment. ad uerb. donatione largitus n. n. sqq. BRVNNEM. ad L. 8. C. de reuoc. donat. n. 15. CARPZ. Part. II. Constit. XI. Defin. 34. Alii distinguunt, utrum rei donatae pretium iustam meritorum aestimationem excedat, an minus. V) an ad hoc, ut donationis retractatio ex hac L. licita sit, sufficiat, si donatori tantum unicus filius adgnatus est? Negant DD. apud TIRAQVELL. uoc. suscepit liberos. n. 226 - 240. Affirmat ipse TIRAQVELL. cit. loc. cum ibidem recensitis DD. VI) an reuocationi locus ob liberos naturales postea donatori natos? Affirm. HEBER. cit. dissert. §. XIII. qu. 1. Neg. ZASIVS ad Digest. tit. de donat. n. III. et TIRAQVELL. uoc. suscepit liberos n. 56 - 63. Aliter DIONYS. GOTHOFRED. ad L. 8. C. de reuoc. donat. n. 51. ubi liberos naturales, donatori postea agnatos, a donatore tantum alendos esse putat. VII) an retractatio donationis permittenda, si liberi donatoris naturales, ante uel post donationem nati, post celebratum donationis actum legitimentur? De hac quaestione uide uarias opiniones apud TIRAQVELL. uoc. suscepit liberos. n. 64 - 100. et HEBER. cit. dissert. quaest. 2. VIII) quid, si donator postea liberos tantum adoptauit? uid. TIRAQVELL. cit. loc. n. 10 - 27. IX) an filii spirituales donatoris donationem ex hac lege reuocari possint? TIRAQVELL. ibid. n. 26 - 41. X) an etiam donatio, in Ecclesiam facta, ex causa liberorum, donatori postea adgnatorum, reuocationi sit obnoxia? Affirm. MYNSINGER Cent. V. Obseru. 95. ZOESIVS ad Dig. tit. de donat. n. 128. STRAVCH. in Iur. Iustin. dissert. VIII. §. 13. n. 5. Negant TIRAQVELL. uoc. libertis n. 79 - 91. L. B. de LYNCKER in Analect. ad Dessélii Erotemata Iur. Can. Lib. III. Tit. XXIV. quaest. 6. XI) an reuocatio ex hac L. admittenda, si mater uidua liberis suis, prioris matrimonii, donauit, sed postmodum ad secunda uota transiens, liberos suscepit? Neg. STRAVCH. cit. §. 31. FINCKEL-THAVS.

THAVS. *Observ.* 60. n. 27. XII) an retractationi locus, si liberi, post donationem nati, mox, uiuo donatore, iterum decesserunt? *Affirm.* BRVNNEM. *ad L. si unquam.* 8. n. 11. STRAVCH. *cit.* §. 31. sq. LAVTERB. *Coll. Theor. Pract. tit. de donat.* §. 54. cum ibidem laudatis DD. *Negant* TIRAQVELL. *uoc. susceperit liberos.* n. 224. GOMEZ *Lib. II. Resol.* 4. n. 10. sqq. CLARVS *Lib. IV. sentent.* §. donatio. *Quaest. XXIII. n. 9.* FACHIN. *Lib. V. Contr.* 90. Vtriusque opinionis argumenta exhibet BACHOVIVS *ad Treutler. Vol. II. disp. XIX.* §. 7. *lit. C. uerb. donatio uero eiusmodi.* Aliter STRVVIVS *in Syntagm. Iur. Ciu. Exerc. XL.* §. 16. *fin. ubi distinguit.* XIII) an, si donator, post adgnatos sibi liberos, donatarium rebus donatis uti passus est, et postmodum decessit, heredes donatoris adhuc ius reuocandi habeant? *Affirm.* CARPZOV. *Part. II. Constit. XII. defn.* 40. STRUV. *cit. Exerc. XL.* §. 16. *lit. K.* LAVTERB. *Coll. Theor. Pract. Digest. tit. de donat.* §. 54. *fin.* HEBER. *cit. disp. quaest. V. Negat* TIRAQVELL. *uoc. susceperit liberos.* n. 21. sqq. Aliter STRAVCHIVS *cit. dissert. VIII.* §. 32. XIV) an reuocationi obnoxia sit donatio, quam pater, filium habens, quem peregre profectum, uel quocunque modo absentem, falsi rumoris ductu credidit esse mortuum, in extraneum contulit? *Affirm.* TIRAQVELL. *uoc. filios non habens.* n. 15. MVLLER. *ad STRUV. cit.* §. 16. *lit. B. n. 4.* Alii uero *negant* ob uerba *Legis. si unquam.* 8. *filios non habens.* XV) an, si nihil superest de re donata, tempore superuenientiae liberorum, donatarius aestimationem restituere debeat? *uid.* STRUV. *cit.* §. 16. *lit. Z. ibidemque* MVLLER. *in not.* XVI) quatenus a donatario fructus restituendi? In hac quaestione decidenda quantopere se torqueant DD. *uide* apud HEBERVVM *cit. dissert. quaest. ult. add.* STRUV. *Exerc. XL.* §. 16. *lit. n.* XVII) quid, si donatarius rebus donatis

natis onus *hypothecae* imposuerit, an natis postea donatori liberis, qui reuocat, agnoscere onus teneatur? Hanc quaestionem uentilat HEBERVS *Quaest. VI. XVIII* qualis *actio* detur ad reuocandum? *Personalem* tantummodo concedunt BACHOVIVS, itemque HEBERVS *cit. dissert. §. 10. n. et 12. Realem* uero etiam, seu *rei uindicationem* largitur LAVTERB. *Coll. Th. Pr. cit. tit. §. 53. fin. XIX*) an *Legi. si unquam §. 8.* ualide possit a donatore renunciari, adeo, ut donatio, licet liberi superuenerint, fiat irreuocabilis? α) *Negant* SALYCET *in cit. L. 8. Curia Parisiensis* apud CHARONDAM *Lib. II. Pandect. cap. XXI. et in Resp. Lib. IX. cap. XIX. itemque Curia Tholosana* apud MAYNARDVM *in Decis. Tholos. Lib. VI. Cap. 58. DD.* apud MYNSINGERVM *Cent. III. Obseru. 63. et GAILIVM Lib. I. Obseru. 40. n. 13. β) Affirmant* FACHIN. *Lib. III. Controu. 84. FRANZK. Exerc. V. qu. 10. p. 267. CARPZOV. Part. II. Conslit. XII. defm. 33. STRUV. cit. §. 16. lit. θ. HEBER quaest. IX. γ) distinguit* TIRAQUELL. *in Praefat. Comment. ad L. si unquam. 8. n. iii. utrum donator nullam spem habuerit liberorum procreandorum, quia forte ipse et uxor senes fuerunt; an uero spes ipsi adhuc superferit? Priori casu renunciatione reuocationem excludi contendit, non etiam casu posteriori. δ) HIERONYM. TREVTLER. Vol. II. Disp. XIX. §. 7. opinetur, patris renunciationem hoc quidem efficere, quod ipse ille donator res donatas repetere nequeat. Liberis tamen superuentibus ius integram donationem reuocandi saluum manere. e) Alii cum LAVTERBACHIO in Coll. Th. Pr. Dig. cit. tit. §. 57. BRVNEMANNO ad L. si unquam. 8. n. 12. HOPPIO ad Instit. tit. de Donat. et BRVCKNERO in dissert. de renunciatione inualida §. 21. docent, quoad legitimam portionem irritam esse patris renunciationem: et, hac non obstante, liberis saluam manere legitimam, sed quoad reliqua*

qua renunciationem patris utique ualere, et reuocationem ex *L. si unquam. §. impediri.* §) MYNSINGERO et GAILIO *loc. in antecedentibus cit.* haec controuersia Decisione Imperiali digna esse uidetur. XX) an ob liberorum adgnationem reuocari possit donatio, *iureiurando confirmata?* *Negat TIRAQVELL. in Praefat. n. 133. sqq.* Alii cum BRVNEMANNO ad *L. si unquam. §. n. 13.* distinguunt, utrum iusiurandum accesserit *donationi*, an *renunciationi*? Priori casu putant locum habere reuocationem, non obstante, quod iuramentum accesserit. Ast in casu posteriori ius donationem retractandi exulare. Alii cum STRUVIO *Exerc. XL. §. 16. lit. e ibidemque* MVLLERO *in not.* distinguunt, utrum renunciationi *generali*, an *speciali* iusiurandum accesserit. Huius commatis quaestiones, quarum plures a TIRAQVELLO ad *L. §.* asseruntur, apud nos inutiles sunt, ac otiosae, quia, ueluti dixi, *Lex nostra. si unquam. §.* ad liberos restringenda est, nos autem libertis illis destituimur.

§. XII. Antea autem, quam Dissertationi huic finem impono, non possum, quin commoneam, opinionem dissentientium, qui, ueluti ex superioribus constat, non patronis solum donantibus, sed aliis etiam donationes ob adgnationem liberorum retractandi facultatem concedunt, confirmatam esse in *IVR-PROV. WVRTENBERGICO Part. II. gico. Tit. XVIII. §. fin.* Id quod nemini mirum esse debet, cum notum sit, *ICTOS* illos, quorum opera in condendo *Iure Württembergico* adhibita est, Glossatorum et uulgatorum opinioni pertinaciter fuisse adscriptos.

F I N I S.

ERRATA

Pag. 53. lin. 28. pro *cuius leg. ius*
 Pag. 55. lin. 15. pro *fideicommissi leg. fideicommissio*
Reliqua corrigat B. L.

❧ (o) ❧


NOBILISSIMO RESPONDENTI

S V O

S. D.

PRAESES.

Reddo tibi *Dissertationem tuam, proprio Marte conscriptam, et nuperrime mihi oblatam. Nihil fere in ea mutavi, sed, paucis deletis, reliqua omnia intacta reliqui. Laudem uero insignem meretur egregius hic conatus tuus; unde non minus ingenii tui uis, quam in omni genere doctrina haud uulgaris elucet. Inprimis uehementer approbo institutum tuum, quod, in definiendis quaestionibus Iuris, a uulgi opinione animum abducis, nec, quid sentire debeas, ex solo fori usu, qui plerunque dubius atque incertus est, sed ipsis legum fontibus addiscendum et repetendum esse, existimas. Maeste hoc animo, NOBILISSIME VIR, atque in hoc Virtutis campo, qui tibi amplissima praemia et uberrimos fructus ostendit, strenue, quod facis, decurre. Sic enim fiet, ut, Diuino auxilio adiutus, metam, tibi praefixam, breui consequaris. Vale!*



Wittenberg, Gss., 1724 L-2

ULB Halle

3

005 359 872







DISSERTATIO JURIDICA
QVA

M O D V M

899. 16
1724 37

DONATIONES OB AGNATIONEM LIBERORVM

EX

LEGE. VIII. CODICIS

DE

**REVOC. DONAT.
RETRACTANDI**

AD SOLAS LARGITIONES PATRONI
IN LIBERTVM COLLATAS PERTINERE.
CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

PRAESIDE

D. BALTHAS. VVERNHERO, ICto
POTENTISSIMO POLONIARUM REGI
ELECT. SAX. A CONSILII AVLAE ATQVE IVSTITIAE,
ORDINARIO, ET ANTECESS. PRIMAR. ETC.
PATRONO SVO OMNI HONORIS CVLTV VENERANDO

AD D. MAI. 15 15CC XXIV.

IN AVDITORIO IVRIDICO
PVBLICE RESPONDENDO DEFENDET
AVCTOR

DANIEL HOEFERVS
BERNSBACH-MISNICVS.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.

